ANNALES

ACADEMICI.

CIↃIↃCCCLXI—CIↃIↃCCCLXII.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1864.

31

Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. IX FEBR. A. CIↃIↃCCCLXI AD D. VIII FEBR. A. CIↃIↃCCCLXII

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

ABRAHAMUS KUENEN.

SENATUS ACADEMICI GRAPHIARIUS

HIDDO IUSTI FIL. HALBERTSMA.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

A. KUENEN.
W. A. VAN HENGEL, Prof. emeritus.
I. H. SCHOLTEN.
I. I. PRINS.
L. W. E. RAUWENHOFF, Prof. extraord.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM.
F. KAISER.
G. H. DE VRIESE, obiit d. 23 m. Ianuarii 1862.
P. L. RYKE.
W. F. R. SURINGAR, Prof. extraord.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BAKE, Prof. emeritus.
I. M. SCHRANT, Prof. emeritus.
A. RUTGERS.
T. G. I. IUYNBOLL, obiit d. 16 m. Sept. 1861.
I. H. STUFFKEN.

C. G. COBET.
R. P. A. DOZY.
M. DE VRIES.
I. G. HULLEMAN.
R. FRUIN.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS.
H. I. HALBERTSMA

IN FACULTATE IURIDICA.

H. G. TYDEMAN, Prof. emeritus.
H. COCK.
I. DE WAL.
S. VISSERING.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. E. GOUDSMIT.

I. I. P. HOFFMANN, titulo Prof. ord.
P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Germ. Litt.
L. C. LEVOIR, in Museo physico Adiutor.
R. S. TJADEN MODDERMAN, in Laboratorio chymico Adiutor.
N. M. KAM, in Observatorio astron. Observator.
P. DE JONG, Adiutor interpretis Legati Warneriani et Ling. Pers. et Turc. Lector.
M. I. DE GOEJE, Adiutor Interpretis Legati Warneriani alter.
I. A. BOOGAARD, in Museo anatomico Prosector.
W. KOSTER, in eodem Theatro Prosector alter.

ORATIO

DE

RELIGIONE CHRISTIANA PER CONTINUAS THEOLOGIAE COMMUTATIONES SIBI CONSTANTI ET INCOLUMI,

QUAM HABUIT

DIE VIII FEBRUARII CIƆIƆCCCLXII

DE MAGISTRATU ACADEMICO DECEDENS

ABRAHAMUS KUENEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET THEOL. DOCT., IN FAC. THEOL. PROF. ORD.

ACCEDIT FATORUM ACCADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE ANNO CIƆIƆCCCLXI—CIƆIƆCCCLXII ENARRATIO.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, PROFESSORES, ALUMNI, QUOTQUOT PRAETEREA AD HAEC SOLLENNIA CELEBRANDA HIC ADESTIS: AUDITORES HUMANISSIMI!

Quicumque theologus, IESU praecepto obsecutus, temporum signa observare solet, facile animadvertit acerrimas ubique de religione Christiana agi controversias. Non diffiteor vix posse illud nostrae aetatis proprium videri, quod nullo non tempore locum habuerit. Numquam enim defuere, qui ipsam rem Christianam impugnarent, aut Ecclesiae dogmatis dubia opponerent. Quod vero nunc usu venit, ut ubivis fere terrarum magno cum ardore eaedem agitentur et gravissimae questiones, hoc aut numquam accidit aut rarissime. Mitto iam eos, qui religionem a CHRISTO conditam nostris temporibus non amplius accommodatam esse rati prorsus eam reiiciant: de Christianis loquor theologis, qui quamvis longe a se invicem dissentientes uno tamen ore profitentur, religionem nostram etiamnunc omnium verissimam et praestantissimam iure suo audire. Hi autem in diversas discessere partes, quarum altera quae a maioribus tradita sunt dogmata omnia aut pleraque certe tuetur, altera hoc agit, ut doctrinam Christianam cum ingenio temporum nostrorum efficiat concordem, abiectis, ubicumque hoc necessarium videatur, placitis antiquioribus. Horum conatus illis periculi pleni videntur et religioni perquam noxii, quam labefactari, quin etiam funditus tolli clamant, sublata communi sententia de religionis tam Israëliticae quam Christianae origine et auctoritate divina; qui hanc non admittant eos extra Ecclesiae fines versari haud dubie pronuntiant, nihil magis optandum esse existimantes, quam ut isti, posita theologi Christiani persona, Christianismi adversarios sese profiteantur.

Habent sane, qui ita sentiunt, quod temporis nostri depravationem et lugeant et reformident. Qualecumque enim de theologia illa, quam recentiorem dicere visum est, feramus iudicium, hoc satis constat, illius sectatores nec paucos esse nec contemnendos. Cohaeret utique eorum sentiendi ratio cum temporum quibus vivimus proprietate. Quod si forte neges, quo tu modo explices, quaeso, quod non rari apparent neque in una orbis Christiani parte, sed undique, quasi humi mortalia semina alter CADMUS sparserit, crescit seges clypeata virorum? Germaniam suam contulisse messem nemo mirabitur qui reputaverit, praecipuam eam esse theologiae sedem; sed neque Helvetia deëst, nec patria nostra; vel in Francia, ubi theologiae studium diu iacuit, recentissima illa suos habet cultores; neque in America desiderantur, teste, quem unum honoris causa excito, THEODORO PARKERO; imo ne Angliam quidem, orthodoxiae quasi arcem, depellere potuisse hodiernos eius oppugnatores, turbae probant brevi ante a theologis nonnullis Oxoniensibus motae. Haec omnia considerantes facile concedemus, dubitationes de placitis ecclesiasticis, quae communi supranaturalismi fundamento innituntur, non forte fortuna exortas sed mentibus hominum, qui nunc vivunt, insitas esse. Quid igitur? Num revera ab iis, qui sic sentiunt, religioni Christianae periculum imminet eo gravius, quo latius error proserpsit? Num recte iudicant, qui, nisi dubia ista profligentur, fidei vaticinantur interitum?

Cui quaestioni si hanc dicendi opportunitatem nactus respondere conabor, haud vereor sane ne argumentum levius mihi tractandum sumpsisse videar, dummodo ne in temeritatis reprehensionem incurram. Quam ut a me arceam historiam testem adhibere iuvat, gravissimam profecto nec cuiquam facile recusandam. Dicam ergo *de religione Christiana per continuas theologiae commutationes sibi constanti et incolumi.* Vos, qua estis humanitate, aures mihi praebete, si qua me invito in orationem irrepserit barbaries ignoscere parati: pro virili enim parte ut rerum et verborum discordiam componerem luctatus sum; ex qua lucta an emerserim Vos videbitis!

Quotquot religionem Christianam cum placitis theologicis non prorsus confundunt, his illam superstitem et fuisse et fore sine ulla dubitatione concedent. Ne in acerrimis quidem orthodoxiae ecclesiasticae patronis est

qui existimet, e subtilissima quaque quaestione dogmatica ipsam religionem pendere. Nec tamen dubito, quin eumdem a me habeam dissentientem. Religionis enim Christianae notionem alii aliter constituimus, qua in re quum nostrae quaestionis cardo vertatur, statim a definitione proferenda ordiendum esse videtur, cui explicandae et vindicandae tota mea serviet oratio.

Religio est certa quaedam ratio Deum agnoscendi et colendi, quae qualis sit ex epitheto efficitur, quod huius rationis auctorem indicare solet. Ubi igitur de Christiana religione quaestio instituitur, ad testimonia de IESU CHRISTO historica ablegamur. Horum antiquissima, quae reliqua omnia fide superant, et PAULI epistolis continentur et Euangeliis tribus prioribus, quae Synoptica dici solent. Haec si consulimus, de IESU consilio eiusque vera indole dubium relinquitur nullum. Propositum illi erat condere societatem, quae a parvis initiis progressa totum aliquando complecteretur genus humanum. Quam ut accuratius describat et auditoribus commendet, notionem *τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ*, inter populares suos longe lateque sparsam, in usum suum convertit, sed ita simul immutat, ut nihil in ea supersit Iudaïci. Non tantum Israëlis posteris sed omnibus hominibus ad regnum divinum aditus patet. Quae enim in eius civibus requiruntur talia sunt, ut tam a gentibus quam ab Iudaeis praestari possint. Quippe omnia referuntur ad modestiam, quae tenuitatis suae sibi conscia et Deo, Patri amantissimo, confidit Eiusque consilio se submittit, et peccatorum venia ab Eo impetrata virtuti studet, quae mutuo amore absolvitur. Quam arcte igitur in IESU sectatoribus vinculi, quod hominem cum Deo iungit, conscientia et perfectionis moralis studium cohaereant, ipsi iudices estis. Iure nostro censemus religionem ex IESU mente prorsus ethicam esse, virtutem autem a religione proficisci omnem ex eaque pendere. Idem ex illius vita verissimum esse apparet. Quae enim in aliis requirebat, horum ipse exemplum dedit perfectissimum. Patrem veneratur coelestem, perpetuo in rerum natura operantem, omnibus prospicientem, hominum amantissimum; ab Eo se pendere sentit Eiusque voluntati se submittit; Illi semper et ubique obtemperat, voci illi internae, quae ad vitae sanctitatem propellit et ab omni malo dehortatur, numquam non obsecutus; quam in Illo reposuit fiduciam, hanc sui abnegatione et obedientia, usque ad mortem praestita, comprobat

et illustrat. Quae quum ita sint, qualis sit Christiana i. e. ipsius IESU CHRISTI religio, ne quis dubius anquirat. Christianus is est, qui IESU spiritu tamquam imbutus illius vestigiis insistit; qui Deum Patrem benignissimum, rerum omnium providum, agnoscens, regni illius divini, cuius ipse civis est, fines quotidie extendere conatur. Christianam autem religionem brevissime simul et optime describit, qui pietatis erga Deum et studii perfectionis ethicae arctissimam coniunctionem, quia utriusque unitatem eam dixerit.

Sed statim vereor, ne cui Vestrum ieiuna admodum et frigida videatur haec definitio, quippe quae haud pauca omittat ad religionem vere pertinentia. Quam querelam ut suo pretio aestimemus, videndum est, quo pacto et cum religione Christiana cohaereant et ab ea diversa sint, quae in descriptione nostra frustra quaeruntur.

Hoc sane nemo Vestrum magnopere reprehendet, quod religionis Christianae notionem constituens de communione ecclesiastica, de coetus Christiani regiminis forma, de ritibus homini Christiano vel semel subeundis vel identidem celebrandis ne verbum quidem monui. Quantivis haec omnia fieri in ecclesia Romano-catholica satis constat. Extra Ecclesiam nullam salutem esse rati theologi, quibus Romana Curia imperat, e coniunctione cum Ecclesia, uti par est, omnem religionem suspensam faciunt. His vero inde ab initio Protestantes sese opposuerunt, ad historiam longe alia docentem optimo iure provocantes. Fide omnia contineri proclamant, quae ubi adsit coetus ecclesiasticus sponte oriatur, ubi vero absit, ritibus et formis nullum tribuendum sit pretium. Accedit quod in his omnibus nihil stabile esse historia luculente demonstrat. Nulla est, ut hoc unum afferam, regiminis forma, inde a monarchica usque ad democraticam, quam non experta fuerit Ecclesia Christiana. In rituum celebratione eadem inconstantia, eadem varietas. Quid plura? Quamvis mihi persuasum sit, auctoritatem sine ratione nihil valere, hoc unum testibus adhibitis efficiam: qui ante hos paucos annos foedus q. d. Euangelicum inierunt, in horum programmate de ritibus et formis ecclesiasticis altum est silentium, ut nemo dubitare possit, quin *ἀδιαφόροις* haec iam cuncti annumerent.

At longe aliter res sese habet, ubi ad credenda attendimus. Iidem, ad quos provocabam, foederis Euangelici auctores nonne iure suo statuerunt,

certa quaedam esse dogmata, ab omnibus Christianis admissa, quibus in dubium vocatis ipsa religio superstes esse nequeat? Nonne fides quaedam adest universalis, quam qui non amplectatur, Christianus agnoscendus non sit? Audio: quoniam vero neque a meo neque a Vestro pendet arbitrio definire, quaenam sint huiusce fidei capita, historia duce procul dubio ea exploranda sunt. Hanc vero viam ingressi dogmata ista ab omnibus Christianis accepta frustra circumspicimus. Adest sane fides quaedam catholica, at in hominum Christianorum animis, minime vero in formulis eorum dogmaticis quaerenda est. Harum enim nulla est, quin per seculorum decursum gravissimas subierit mutationes. Sumite dogma quodlibet. Origines illius indagate in Novi Foederis libris. Iam in his haud pauca animadvertetis discrimina. Quis hodie nescit, longius a se invicem distare PAULUM et IACOBUM, ab utroque Apocalypseos auctorem? Unam afferre liceat christologiam, quae omnium instar sit. Quis mihi PAULUM cum Epistola ad Hebraeos, quis alterumutrum cum IOHANNIS doctrina de τῷ Λόγῳ in concordiam redigat? Sed ulterius progrediendum est. Attendite igitur ad controversias, de eodem argumento gravissimo per tot secula agitatas. Non simul et semel sed pedetentim sententia ea, quae postea plurium suffragiis sancita est, exoritur et auctoritate crescit. Singula Synodorum decreta novae cuiusdam disputationis semina continent, quae, dubio Marte aliquamdiu agitata, subtiliores gignit formulas, quarum eadem erunt fata. Tandem ingentes illae lites compositae esse videntur, sed tantum abest ut vera adsit diversorum elementorum concordia, ut Lutheranorum et Reformatorum familiae, quarum utraque dogma orthodoxum amplexa est, varias in illo explicando et adhibendo inire potuerint vias, quarum si alteram probes, alteram reprehendas necesse est. Tot tantae sunt christologiae vicissitudines, ut nulla excogitari possit formula, quae diversas sententias sic comprehendat, ut amice conspirare videantur. Frustra igitur circumspicimus fidem de CHRISTI persona catholicam. Sed alia afferri possunt exempla luculentiora. Quanta est sententiarum de redemptione a CHRISTO allata varietas! Theoriam alii mythicam, alii iuridicam, alii ethicam excogitaverunt, quarum nulla sic principatum nacta est, ut reliquas devicerit. Si e certa quadam de salutari CHRISTI opere opinione diiudicandi sunt homines Christiani, longe plurimis nomen istud denegandum

est, viris etiam praeclarissimis, quibus iure suo Ecclesia gloriatur. GREGORIUS uterque, *Nyssenus* et *Nazianzenus*, quin etiam ipse AUGUSTINUS, nonne Christiano nomine indigni censendi sunt, si placiti Anselmiani fautoribus permittitur ad magistri sui normam omnes iudicare?

Sed haec attulisse suffecerit. Qui ante tria secula de eodem argumento disserebat, is nisi exemplorum copiam afferret causam obtinere non poterat. Bona fide tunc existimabant omnes, theologiam ecclesiasticam magis magisque auctam fuisse et explicatam, mutationes vero proprie sic dictas subiisse nullas. Haud pauca tunc credebantur esse placita, quae semper, quae ubique, quae ab omnibus fuissent recepta. Qui vero seculo XVI ipsius religionis tuendae causa Ecclesiae auctoritatem missam fecerunt, in hoc errore perseverare nullo modo poterant. Ipsi rem experti sibi persuasum habebant, quam plurima sensim irrepsisse placita antiquitati ignota, huius vero sententiae in dogmatis serioribus vestigia superesse pauciora. Hodie historia dogmatum a multis exculta dubium hac de re relinquit nullum. Quid? si iam in N. Foederis libris tanta opinionum diversitas agnoscitur, ut historiam theologiae Christianae per aetatem Apostolicam conscribere aggressi sint, ecquis eo progredietur audaciae, ut discrimina, quae seriori aetate sese offerunt, multo maiora, aut neget, aut obtegere studeat?

Haec vero diversitas non agnoscenda tantum, sed intelligenda etiam et explicanda est: qui igitur fit ut perpetua sit dogmatum tamquam transformatio, neque eamdem potius theologiam profiteantur variae Christianorum aetates? Cui quaestioni responderi non poterit, nisi prius constiterit de nexu inter religionem et dogmaticam Christianam. Sunt qui hunc nexum negantes fere dogmaticam nil aliud esse credant nisi vanam de rebus incognitis disceptationem, quae si vel maxime ad ingenia acuenda apta sit, attamen cum vita hominis sive religiosa, sive morali nihil commune habeat, nisi forte ei obstare dicenda sit, quippe quae rabiem theologicam litesque inextricabiles excitet. Invidiosius quam verius ita dicitur, AA.! Qui aliquam contraxerit cum dogmaticis tam antiquioribus quam recentioribus familiaritatem, iniquas hasce criminationes sponte repudiabit. Non meras argutias, sed res serias serio tractabant IRENAEUS, ORIGENES, AUGUSTINUS, alii, quotquot doctrinam Christianam explicuerunt; qui si interdum quaestiones agitabant, quae nobis leviores videntur, seculo hoc tribuendum est

et condonandum. Theologiam dogmaticam excolentes illi necessitati cuidam internae obtemperabant. Christianam religionem toto pectore amplexi, qualis ea esset inquirebant; quae intus experiebantur et vita sua exprimere studebant, eadem ipsi intelligere et aliis in conspectu ponere conabantur. Cum Deo arctissime coniuncti, a poenae formidine liberati, intimam divini amoris certitudinem, immortalitatis et beatitudinis spem inconcussam foventes, haec omnia IESU se debere et noverant et profitebantur. Quid mirum si, obscuro hoc sensu minime contenti, et cur et quomodo et unde haec omnia essent explorabant? En theologiae dogmaticae originem! Quis igitur non statim agnoscit, formulas dogmaticas, quibus religionem describerent, aliunde quam ex varia cuiusque seculi philosophia peti non potuisse? Quae singulis aetatibus vigebant notiones de rebus physicis, historicis, aliis, easdem in usum suum convertebant theologi. Sic in orbe antiquo philosophia Alexandrina et, unde haec originem duxit, Plantonica vim exseruerunt permagnam. Sic medio aevo singula dogmata transfusa quasi sunt in logices Aristotelicae categorias. Nec minus post sacrorum seculo XVI instaurationem perpetua observatur dogmatices transformatio, e systematis philosophicis, quae se invicem exceperunt, explicanda. Maiorem hanc esse, quo latius humana scientia sese extenderit quoque altius in ipsam rerum naturam penetraverit, ultro intelligitur. Tanta igitur est temporum, quibus nos vivimus, et variarum disciplinarum hodierna vis, ut vel ὀρθοδοξότατοι eas a se arcere nequeant. Quotusquisque reliquus, qui etiamnunc dogmaticam a Reformatoribus excultam amplectatur, aut unum saltem eorum placitum sic recipiat, ut nihil inter eum et antiquiores intersit? Non desunt sane, qui vetustas formulas se tueri bona fide profiteantur. Re vero accuratius perpensa, oratione relinquere, re tollere antiqua dogmata deprehenduntur. Adeo verum est, quod in proverbio esse coepit, duo quum dicant idem non esse idem. Quam libertatem ut reprehendam longissime abest, dummodo qui sic agunt ne obliviscantur, aliis concedendam esse, quam ipsi sibi sumant, veniam.

Non vereor, ne quae iam exposui, potius dicam in memoriam revocavi, Vobis magnopere displiceant. Agnoscunt hodie tantum non omnes, aliam esse populorum orientalium, aliam Graecorum, aliam Latinorum, aliam

denique Germanorum rationem in rebus dogmaticis explicandis, nec tamen propterea religionem Christianam aut naturam suam mutasse, aut vim amisisse beneficam. Hatenus ergo mihi concedunt, in mediis dogmatum ruinis religionem incolumem superesse, quin etiam divinam illius praestantiam melius in dies a dogmaticis expositam fuisse. Ubi vero ad controversias ab hodierna theologia motas idem applicatur iudicium, iniuria hoc fieri multi perhibent. Sic enim ratiocinantur: in magna opinionum diversitate ipsa fidei q. d. substantia numquam periit; hanc incolumem servaverunt quotquot usque ad hunc diem Christiani haberi voluerunt; quam si retinerent qui hodie recentissimam illam, quam vocant, theologiam amplectuntur, nemo facile propter paucos naevos in reprehensionem eos adduceret. At negandum est, illos eamdem sequi viam, qua praecesserunt generationes Christianorum antiquiores. Non patrum Ecclesiae, sed religionis Christianae adversariorum vestigia legunt: CELSI, PORPHYRII, Deïstarum q. d. Anglicorum, VOLTARII exemplum imitantur, hoc uno ab iis discrepantes, quod nihilominus Christiano nomine sese condecorant.

Quam lubrica sit tota haec inter materiam et formam distinctio, neminem Vestrum latet. Quae nobis gravissima videntur, ea ad substantiam referre, reliqua quippe minoris momenti singulorum arbitrio permittere solemus. Idem quod theologis hodiernis hesterni, hesternis antiquae orthodoxiae vindices exprobrant, quamvis perhibeant illi se in rei summa cum doctrina ab Ecclesia sancita convenire, in levissimis tantum ab ea discedentes. Sed, age, audiamus recentissimae theologiae adversarium causam suam dicentem!

In quavis disquisitione, inquit, quae a pluribus peragitur, ut ad finem suum perduci possit duo potissimum requiruntur: alterum, ut de fontibus constet unde rei cognitio haurienda est; alterum, ut de rei, quae exploratur, natura universe spectata omnes idem sentiant. Iam vero qui antea dogmaticam Christianam exposuerunt, scriptis V. et N. Foederis *auctoritatem*, religioni autem Christianae et, quacum arctissime cohaeret, Israëliticae *originem divinam* ad unum omnes tribuerunt. Neutrum in theologia recentissima superest. Libris et Iudaeorum et Christianorum sacris auctoritatem, proprie sic dictam, denegant omnem; peculiarem dein revelationem, quae Israëlitis per MOSEN et prophetas, universo autem generi hu-

mano per IESUM CHRISTUM data est, non agnoscunt. Qui sic sentiunt, theologiae fundamentum tollere, naturam mutare merito dicuntur: quia etiam de ipsa religione actum est, abiecta duplici illa persuasione, quae per seculorum decursum omnibus eius sectatoribus communis fuit.

Quod utramque querelam, de Literarum Sacrarum auctoritate et religionis origine divina a theologis hodiernis in dubium vocatis, uno tenore commemoravi, hoc non forte fortuna sed de industria factum est. Quamquam enim a diversis interdum proferuntur, arctissime tamen inter se cohaerent; quod ipsi iam animadvertistis. Sed, age, singulas exploremus, ut quatenus a placitis, quorum res agitur, religio Christiana pendeat probe perspiciamus!

Ordiamur a Literarum Sacrarum auctoritate, quam, si in hac voce definienda CICERONEM [1]) sequimur, agnoscere illi dicendi sunt, qui id ratum habent, quod a librorum V. et N. Foederis auctoribus iudicatum vident. Ut igitur constet auctoritas, ante omia hoc requiritur, ut singulis et verbis et sententiis et libris suus tribuatur sensus, cui dein nos subiiciamus. Qui libris sacris sententiam obtrudunt ab eorum auctoribus alienam, quam dein ipsi tamquam divinam veritatem suspiciant, illi ridicule et absurde agunt. Non ignoro sane, neminem umquam exstitisse, qui consulto sic interpretaretur. Nihilominus inde ab eo tempore, quo librorum sacrorum auctoritas agnosci coepta est, paullum abfuit quin eorum sententiae suam substituerent. Missis Iudaeis intra Ecclesiae Christianae fines nos contineamus. Qui primi libris N. Foederis sacris utuntur (quod quam alienum fuerit a patribus q. d. Apostolicis omnes norunt), IRENAEUS, TERTULLIANUS, CLEMENS, iidem in eorum interpretatione duplici modo a vero aberrant. Aut enim interpretandi norma iis est Ecclesiae sententia, quam episcopi sedium Apostolicarum fideliter servasse censebantur, aut allegorice explicant auctorum sacrorum verba. Alterautram viam ineuntes suo arbitrio in constituendo Literarum Sacrarum sensu magnas tribuebant partes. Qui enim a traditione Apostolica numquam discedendum esse profitebantur, vel inscii eam exornabant et amplificabant, haud pauca in eam inferentes, de quibus nemo ex Apostolis cogitaverat umquam; sic factum est, ut illorum aucto-

---

1) *De Nat. Deorum* I § 10.

ritatem prae se ferentes revera in interpretatione suum sequerentur arbitratum. Quod magis etiam valet de allegorica exegesi. Interrogati cur et quando hanc sequantur, eius patroni respondent, sensum q. d. literalem relinquendum esse, ubicumque absurdi quid aut absoni aut ecclesiasticae doctrinae contrarii hic continere videatur; quomodo vero hosce fines constituant, penes singulos est iudicium. Non paucos quosdam neque ignobiles hic error invasit: tantam pedetentim auctoritatem sibi conciliavit allegorica interpretatio, ut, qui unus fere recte sapere ausus fuerat, THEODORUS *Mopsuestenus* in Concilio Oecumenico 5to hac etiam de causa ab Ecclesia damnatus sit. Per medium aevum eamdem viguisse methodum, cum ea quae ecclesiasticis placitis adhaeret sensim coalescentem, quis nescit? A Patrum auctoritate et exemplo, ab AUGUSTINO praesertim discedere nemo in Occidente sibi sumebat; ecclesia vero Graeca, ubi theologia proprie sic dicta ne exstabat quidem, in colligendis antiquorum interpretationibus acquievit.

Atqui aetatem antiquam aut mediam haec omnia spectant, quarum errores posteri vitarunt. Sit ita, quamquam ubi fides Christianorum universalis invocatur, tempora antiquiora negligere non licet. Sed, si ita videtur, ad secula recentiora attendamus animum! Nemo sane ignorat LUTHERUM se non praestitisse auctoritatis Literarum Sacrarum patronum, qui si existimasset hoc esse hominis Christiani, ut singulos utriusque instrumenti libros pro divinis haberet, notissima illa de IACOBI epistola, de Apocalypsi, de prophetis iudicia non protulisset. Sed ne CALVINUS quidem, ad serioris aetatis sententiam orthodoxam si iudicetur, incolumis evadet. Nihilominus illud largiendum est, Protestantium, Reformatorum imprimis, libros symbolicos Sacri Codicis auctoritatem agnovisse ad unum omnes. Quod ut facerent, non parum contulerunt controversiae, quae tunc agitabantur, cum Romanae ecclesiae theologis: traditioni, ad quam illi provocabant, opponendus videbatur codex, quem iudicem reiicere nemo facile in animum inducere poterat. Sed hoc quomodocumque sese habet, Protestantium familias Sacri Codicis auctoritatem sancivisse, nemo umquam in dubium vocabit: hoc autem decretum pluris etiam aestimabimus reputantes, sensum librorum sacrorum multiplicem ab iisdem non fuisse admissum. Caveamus tamen ne nubem pro Iunone amplectamur. Non pro-

hibuit Reformatos sententia, quam de interpretatione grammatica tenebant, quominus CASTALIONEM Geneva pellerent, allegoricae Cantici canticorum explicationis adversarium. Praeterea de consensu librorum symbolicorum cum doctrina biblica tam firmiter omnibus persuasum erat, ut vel inscii in hac investiganda illorum exemplo abduci se paterentur. Quin eo processit nonnullorum dementia, ut singula doctrinae ecclesiasticae capita in paucissimis auctorum sacrorum verbis reperire sibi viderentur et ADAMI aut ELISABETHAE theologiam conderent, cum fidei confessione Augustana tantum non in omnibus conspirantem. Ut paucis rem complectar: si unum excipimus HUGONEM GROTIUM, virum summum sed orthodoxis neutiquam annumerandum, defuit inter Protestantes ad seculum superius fere medium interpretatio historica. Obliviscebantur qui libris sacris interpretandis operam dabant, scripta N. Foederis, ne de Vetere nunc dicam, ante sedecim secula fuisse orta. Aetatis qua vixerant Apostoli, originis eorum e gente Iudaïca, philosophiae et theologiae, quibus illi addicti fuerant, immemores, in suos usus convertebant, immo contorquebant omnia. Per SEMLERUM demum effectum est ut sanior sensim invaluerit interpretatio. Quae quoties ostendebat auctores N. Foederis opiniones secutos fuisse, quae iam minus probabiles viderentur, id ita cum eorum auctoritate in concordiam redigebatur, ut ad aequalium suorum errores sese accommodasse dicerentur. Sed hanc quoque theoriam iure meritoque nostrae aetatis theologi missam fecerunt. Tandem igitur eo perventum est, ut quod ipsi scriptores cogitaverunt id nos cogitando recolamus, nihil de nostro admiscentes. Qui vero eo pervenerunt interpretes Literarum Sacrarum auctoritatem agnoscere, etiamsi vellent, nullo modo possunt. Quod enim antea me monere memini: tantum deprehendunt scriptorum dissensum, ut rata habere quae in contrariam partem disputantur nequeant. Nec desunt in Novi, nedum in Veteris Foederis libris effata, quae quominus nostra faciamus gravissimae rationes prohibent. Frustra liberiorem hanc sentiendi rationem, necessario exortam, ex proterva seculi superbia explicare conantur. Qui ab hodiernis hominibus postulant, ut, severiorem suam interpretandi methodum secuti, scriptorum mentem, sic exploratam, divini instar oraculi habeant, iugum illis imponunt durius quam quod ferri possit. Veteres enim et qui etiamnunc eamdem interpretandi licentiam adhibent, dogmata sua in Sacro Codice

quaerentes, dogmata pariter sua in eo inveniunt. Laudari solent, qui commune hoc vitium vitare conantur: eam vero laudem si durissima comitatur servitus, equidem cum proavis libere circumvagari, quam cum aequalibus iugum ferre malim.

Sed praestat mentem meam uno exemplo quam multis verbis illustrare. Constat hodie Israëlitarum vates de regno Davidico instaurando deque IACOBI progenie in patriam reditura aut post reditum remansura cecinisse, quae eventus non explevit; constat item IESU Apostolos, una cum primaevis Christianis omnibus, Messiae reditum exspectasse et regnum divinum hisce in terris intra vitae suae terminos condendum; quam spem quomodo excoluerit Apocalypseos auctor fuse explicare non huius loci est, sed nemo Vestrum ignorat. Ecclesiam Christianam universam usque ad seculum 3tium eamdem de rebus futuris sententiam, quam chiliasmum dicere solemus, firmiter tenuisse, historia docet: itaque nemo tunc negavit eam revera libris sacris contineri. A seculo vero 3tio, auctis Christianorum rebus, primum pauciores, dein plures, post AUGUSTINUM denique omnes hanc spem abiiciunt. Num igitur Hebraeorum vatibus et Apostolis obtemperare desierunt? Non ita: salva librorum sacrorum auctoritate illud factum est, quos πνευματικῶς i. e. allegorice explicabant. Chiliasmus abhinc extra Ecclesiae fines exsulare iussus haereticos fautores habuit. Nec meliora fuerunt eius fata post reformationem, cuius sectatores, communem omnium sententiam amplectentes, ad N. Foederis eschatologiam vix attenderunt animum. Historica demum interpretatio clara in luce eam collocavit, ut qui eam haud agnoscant pauci hodie reperiantur. Quid igitur? Num divinae auctoritati obsecuti eamdem, quam antea reiiciebant, nunc amplectuntur opinionem? Minime vero. Paucissimi sunt, quorum philosophia dicam an theosophia phantasiis delectatur, qui prophetarum et Apostolorum effata, haud ita male explicata, in usum suum convertunt. Sed longe plurimi a chiliasmo alieni sunt. Horum vero qui divinam librorum sacrorum auctoritatem tuentur, etiamnunc sententiam a se damnatam in iis legi pertinaciter negant, quin argumentis inde desumptis illius patronos impugnant. O singularem codicum, quos fidei normam habent, fortunam, ex quibus tamquam ex armamentario suis quique opinionibus praesidia petunt!

Quae omnia quo tendant paucis explanabo. Orbis Christianus antiquus,

Iudaeorum exemplum imitatus, suam erga Apostolos et Euangelistas reverentiam quum theopneustiae dogmate expressisset, consequens erat, ut divina prorsus et absoluta libris N. Foederis tribueretur auctoritas. Eidem dogmati adhaeserunt Protestantium familiae, eoque lubentius, quo magis id aptum videbatur ad profligandos ecclesiae Romanae errores. Quamdiu vero viguit, tum inter Catholicos, tum inter Protestantes, huius placiti severitati sese subducebant, refugium quaerentes in arbitraria interpretandi methodo, quae quamvis improbanda hoc effecit, ut Christiana cogitandi libertas non prorsus perierit. Hodie vero, post tot et tanta Hermeneutices incrementa, refugium istud non amplius patet, neque aliud nobis relictum est, nisi ut antiquam dogmatis formam missam faciamus. Haec enim, ut verbo dicam, ab iis tantum recipi poterat aut retineri, qui in interpretando suum sequebantur arbitratum. Nec tamen propterea nobis deëst ea erga libros sacros reverentia, quam Veteres divinae inspirationis placito expresserunt. Quae si desideraretur, periculum omnino esset, ne una cum dogmate ipsa religio damnum faceret. Qui IESU discipulos de magistro suo testantes contemnit vel aspernatur, is de religionis Christianae substantia aliquid detrahit. At neminem vidi ita de iis sentientem. Equidem Apostolos sua quemque ratione religionem ab IESU traditam egregie explicantes et tuentes pluris facere soleo quam coeca Spiritus divini instrumenta. Tantum igitur abest, ut ex repudiato theopneustiae placito Christianae religioni periculum immineat, ut huic melius consulant, qui Deo per homines locuto substituant homines in arctissima vitae cum Deo communione vocem humanam proferentes. Dogmate sublato religio superest incolumis.

Concedunt illud haud pauci nostrae aetatis theologi, qui ceteroquin theologiae recentiori, *κατ' ἐξοχήν* sic dictae, sese opponunt. Gravissimae enim molestiae, quas adversus theopneustiam, proprie sic dictam, severior interpretandi methodus excitavit, multis videntur insuperabiles. Unum laudasse sufficiat THOLUCKIUM, qui quam libere de Literarum Sacrarum inspiratione et de Israëlitarum historia, in V. Foederis libris tradita, sentiat plus semel apparuit. Sed eo acrius iidem theologi divinam religionis et Israëliticae et Christianae originem propugnant, qua in dubium vocata aut negata ipsa religio stare nequeat. Singula, inquiunt, fidei Christianae ca-

pita, quocumque tandem modo enuntiata, hinc quasi proficiscuntur, quod Deus et populo Israëlitico et per CHRISTUM toti generi humano singulari modo et immediate, ut dicitur, sese manifestavit. Nulla adest causa cur is, qui specialem hanc Dei sive revelationem sive operationem non agnoscat, religionem Christianam nihilominus amplectatur. Illud saltem certissimum est, nihil eum commune habere cum iis omnibus, qui antea Christianorum nomine insignirentur. Negandum quidem non est, sic ratiocinari pergunt, diversissimis modis hanc Dei operationem proponi, quemadmodum eius rationem ad naturalem rerum cursum alii aliter constituant, dummodo discrimen, quod inter hunc et actiones divinas obtinet, ne tollatur. Ut hoc unum afferam, qui IESU originem tribuit mere humanam, is certe tam procul abest a communi seculorum omnium persuasione, ut Christianus haberi nequeat.

Videtis, AA.! quam arcte haec cohaereant cum gravissima de miraculis quaestione, quae an umquam facta sint, an fieri possint vel quondam potuerint, vehementissime his ipsis diebus disceptatur. Ingentem hanc litem non renovabo. Mihi potius hoc impositum est ut quantum intersit religionem Christianam inter et vulgarem de illius origine persuasionem paucis ostendam. Sic enim optime perspicietur, recentissimae etiam totius theologiae Christianae conversioni superstitem fore ipsam religionem. Quod, age, argumentis ex historia petitis evincamus!

Vulgarem de religionis Christianae origine divina sententiam *supranaturalismum* dicere solemus, quippe quae a naturali rerum et physicarum et humanarum ordine distinguat privam quamdam et peculiarem Dei operationem. Quae distinctio sine dubio cohaeret cum antiquorum Israëlitarum religione. Hi enim Deum ubivis praesentem adspicere solebant et Deo auctori tribuere omnia: quod quum facerent, causas q. d. medias aut parum curare, aut prorsus negligere solebant. Quae raro fiebant aut modum excedere videbantur, ea prae reliquis ad Deum fuisse relata, ultro intelligitur. Ab Israëlitis ad Christianos haec sentiendi ratio transiit, simul vero aliquantum degeneravit: quod enim religionis effatum antea ad totum rerum ordinem pertinebat, idem tunc ad certa quaedam facta restringere coeperunt. Nondum orta erat ea aetate notio *τοῦ κόσμου*, quae nobis inde ab iuventute familiaris est: hic illic sane causarum et effectuum nexum naturalem

animadvertebant, sed communis erat omnium persuasio, Deum interdum neque adeo raro intervenire, ut vel piis opitularetur, vel scelestos puniret. Non uni Deo sed Satanae etiam eiusque satellitibus eamdem tribuebant potestatem. Quae quam late patere existimaretur, uno saltem exemplo comprobare lubet. Auctor nobis est AUGUSTINUS [1]), per STEPHANI martyris reliquias, haud procul Hippone Regio servatas, septuaginta miracula eaque certissima perpetrata esse intra biennii spatium, Calamae vero, in alio Africae oppido, multo plura. Quae quum ita essent, de speciali Dei interventu, qui religionis Christianae initia spectaret, nemo facile dubitare poterat: quam enim Ecclesiam perpetua miraculorum serie propagabat Deus, hanc eadem ratione tum a mundo creato praeparasse, tum condidisse sine ulla dubitatione existimabatur. Simul autem animadvertitis, ab hominibus illius aetatis hanc divinae curae speciem, tam in sanctorum quam in IESU et Apostolorum vita conspicuam, tanti fieri non potuisse, quanti hodie aestimetur ab illis, qui specialem Dei interventum ad religionis Christianae primordia restringunt. Hanc vero viam ne Protestantes quidem antiqui ingressi sunt; qui omnino miracula nonnulla in ecclesia Catholica peracta in dubium vocarunt aut plane infitiati sunt: hoc vero inde explicandum est, quod nodum Deo dignum invenire sibi non videbantur; quem si invenissent, ipsum prodigium neutiquam eos gravasset, quapropter miracula longe plurima Satanae auctori adscribere quam negare maluerunt. Nec deërant seculo XVI usque ad XVIII, si hominibus qui tunc vivebant fides habenda est, facta prorsus mirabilia, quae, quum ex causis naturalibus nullo modo explicari posse viderentur, aut fraudi et Diaboli auxilio, aut Deo tribuenda esse communis erat omnium opinio; utrum vero utri praeferrent, hoc ab iudicio pendebat, quod de miraculi auctore et de causa, cui tuendae serviret portentum, singuli ferebant. Religionis autem Christianae divinam praestantiam cuncti agnoscentes de mirabili eius origine dubitare non poterant.

Ut nostris diebus aliam divinae operationis notionem haud pauci sibi informaverint, duae praecipue causae effecerunt: historiae studium et naturae. Multo altius quam superiore seculo hodie in historiae recessus pe-

---

[1]) *De Civ. Dei* Lib. XXII Cap. 8.

netratum esse, omnes norunt. Longe plura etiamnunc latere facile largior. Qui quondam hoc sibi sumsit symbolum: »quantum est quod nescimus!" eum, nostra forte aetate in vitam reversum, dicti nondum poeniteret. Sed haud pauca iam in lucem protracta sunt, maioribus nostris plane incognita. Nusquam luculentius hoc apparet quam in religionum historia. Non tantum Ecclesiae Christianae fata sic illustrata sunt, ut nemo amplius in explicandis eius vicissitudinibus ad singularem Dei aut Satanae interventum confugiat, sed illorum quoque populorum, quos communi gentilium nomine intelligere solebant, religioni nova lux affulsit. Gentium superstitiones in ore habebant proavi; nugas ab illis cxcogitatas iactabant; veri quid iis subesse vix suspicabantur. Quis hodie, Indorum et Bactrorum codicibus sacris diligenter exploratis, eamdem tenebit sententiam? Longe abest, AA.! ut quae his continentur omnia admiremur. At nonnulla tam egregia sunt et sublimia, ut cum optimis Veteris Foederis partibus comparari possint. Ut verbo dicam: populos antiquos, religionis ratione habita, quasi unam perditionis massam, Israëlitis et Christianis proavi opponebant; fines, quibus a profanis sacra seiunguntur, accurate constituere sibi posse videbantur. Nobis nihil difficilius est. Quae antea, primo adspectu, toto coelo distare videbantur, eadem nunc diligentius explorata ex uno eodemque fonte fluxisse patet. Ubivis enim animadvertimus naturae humanae, veris falsa, sublimibus humilia inserentis, constantiam; nusquam aut homo apparet sine aliquo afflatu divino, aut Deus absolutam suam perfectionem mediae humanae imbecillitati immiscens.

Quod de historia, idem de disciplinarum physicarum progressibus valet. De quibus si coram hac contione verba facere auderem, temeritatis reprehensionem haud immerito mihi contraherem. Longe igitur a me absit tanta audacia! Hoc unum in medium proferre iuvat, quod ne imperitissimum quidem harum rerum fugere potuit. Novo, ut videtur, ardore his nostris diebus meteorologia excolitur, quae leges indagat, quibus coeli tempestas regatur, atque huius mutationes praesagit. In una hac disciplina naturae studii expressam quasi imaginem videmus. Ego enim sic mecum reputo: qui talia explorant, firmiter iis persuasum esse debet, omnia in rerum natura ita inter se apta esse et cohaerere, ut ubivis tam in hoc terrarum orbe, quam in coelorum spatiis immensis, in rebus tam

minimis quam maximis, causarum continuatio adsit nusquam interrupta. Qua de re si vel minima dubitatio superesset, nemo sane animum induceret explorare leges, quibus tempestas adstricta sit, quippe cuius inconstantia et mutabilitas in proverbium abierunt. Quod si frustra fieret, ipse etiam conatus demonstraret, quam alte hominum mentibus infixa sit persuasio de ordinum in rerum natura constantia, in qua nihil sit temerarium, nihil varium, nihil fortuitum. At nemo negabit, opinor, his conatibus iam ita respondisse eventum, ut plane confirmata sit unde profecti sunt persuasio. Hanc autem cum argumento nostro arctissime cohaerere ipsi animadvertistis. Deus enim si censendus est ibi tantum aut praecipue operari, ubi interrumpatur causarum nexus, aut specialis q. d. interventus observetur, disciplinae physicae eo tendunt, ut Deum e rerum natura veluti expellant; singula earum inventa arctioribus finibus circumscribunt campum illum latissimum, quem maiores nostri actioni divinae, sic acceptae, patere opinabantur; quin eo tandem pervenietur, ut nusquam in rerum universitate divinae curae locus supersit. Quodsi religio postulat, ut eam curam ubivis contemplemur utque omnia et singula, quae tam in orbe physico quam in generis humani historia et nostra vita fiunt, Deo tribuamus auctori, nihil aliud nobis restat, quam ut in naturali rerum ordine et coagmentatione Dei vitam et perpetuam Illius manifestationem agnoscamus. Quod qui nobis denegant, communionem inter Deum et hominem tollunt atque religioni vere sic dictae nervos succidunt.

Videtis historiae et disciplinarum naturalium studia quam amice conspirent! Praeclarissima quaeque a populis antiquis de Deo rebusque divinis prolata Numini, mirabili prosus modo intercedenti, nemo tribuet, neque ubi ipsi originem humana maiorem prae se ferunt, fidem iis habere solemus. Nec tamen propterea sine ullo Dei afflatu ea et orta et exculta esse facile quis sibi persuadebit. Hanc quoque difficultatem tollit eadem operationis et revelationis divinae notio, quam disciplinae physicae commendant vel potius flagitant. Quemadmodum materiae legibusque, quibus ea regitur, non opponendus Deus, sed per eam quasi pertinere censendus est, sic generis humani historia non hic illic agentem iuducit Deum, sed perpetua est Dei manifestatio, in ipso facultatum humanarum cultu et perpetua humanitatis progressione conspicua. Variam esse hanc Dei operatio-

nem, pro rerum et hominum et gentium, in quibus conspiciatur, varietate, monere vix opus est. Alia est *τῆς ἀϊδίου δυνάμεως καὶ θειότητος* manifestatio, quam aut astra exhibent, aut in terra nostra saxa, plantae, animalia, vel qui omnibus praecellit homo, immortalis et ad perfectionem idoneus; aliter divina maiestas *νοουμένη καθορᾶται* in populis barbaris, aliter in excultis et ad veram humanitatem progredientibus. Sed quamvis variis modis sese manifestantem, unum eumdemque Deum ubique praesentem illi adspiciunt, quorum animi altius se extulerunt.

Facilis est ab hac disputatione ad hodiernam dogmatices conversionem transitus. Immediatam q. d. Dei actionem, quae antea divinae operationis et originis criterium habebatur, nemo nostrum vidit umquam nec videbit. Unam tantum cognovimus, vel potius experti sumus actionis divinae speciem, universalem illam, per omnia pertinentem, Deo dignissimam. Ultro igitur eo adducimur ut ex eadem religionis Christianae origines repetamus. Quodsi quis perhibeat, non hodie quidem, sed ante multa secula, in gentis Israëliticae institutione et in condenda Ecclesia Christiana, Deum alia prorsus ratione, immediate nempe, egisse, diligenter ponderabimus, uti par est, quae ab eo afferuntur argumenta. Unum illud non concedimus, religionem sive Israëliticam seu Christianam magis divinam fore, si qui ita censet superior de certamine discesserit. Nulla enim causa excogitari facile possit, cur divinae origini, qualem nos agnoscimus, praestare ea videatur, quam supranaturalismi patroni rei Christianae tribuunt. Qui Deum homini, qui divinam actionem humanae opponit, is, ut religionem Christianam extollat, e rerum humanarum commercio eam eximere conabitur. Si vero hunc dualismum experientia duce superavimus, quid est quod divinam actionem ab humana divellamus, in historia quidem religionis id agentis, ut hominem cum Deo arctissime iungat? Accedit quod, ipsis supranaturalistis auctoribus, fides miraculis superstrui nequit, sed in animo quem IESU praestantia humana allicit sua sponte exoritur. Quae sane ut agnoscatur peculiari illa actione divina non indiget.

At afferuntur a supranaturalistis argumenta, quibus sententiam suam confirment. Fidenter ad historiam provocant; illicitum esse iure suo perhibent, de rebus in facto positis ante pronuntiare quam testibus aures praebuerimus. A me quidem, AA.! nihil magis alienum est quam tantam in

re gravissima temeritatem probare vel commendare. Inquirendum est, et summa quidem diligentia, in factorum, quae praeter causarum naturalium nexum locum habuisse dicuntur, testificationem. Expendendum est, an tanta haec sit, ut in Israëlitarum historia et rei Christianae primordiis pro vero agnoscere liceat, quod ubi aliarum gentium traditionibus contineatur statim reiicere solemus. Nunc demum, quod probe animadvertatis, sine ira et studio huiusmodi disquisitiones institui possunt. Quamdiu e prodigiis cuiuscumque tandem generis suspensa esse creditur religionis Christianae praestantia divina, nemo a praeiudicatis opinionibus adeo immunis est, ut quid factum sit integro iudicio explorare possit. Nobis haec impedimenta non obstant. Ab historicae cognitionis eventu nec fides pendet nec religio. Quid si exoriuntur, qui nusquam in testimoniis historicis tantam sibi invenire videantur certitudinem, quanta requiratur ad fidem miraculis conciliandam? Quemadmodum illi ea benefacta, quae sibi ex naturae legibus obtingunt, Deo accepta referunt, sic in IESU CHRISTO summam agnoscent Dei *φανέρωσιν* et in religione Christiana maximum Illius beneficium, etiamsi nusquam interrupta sit causarum continuatio. Pater coelestis est, qui facit ut sol exoriatur super bonos et malos, quamquam sic cohaeret systema solare, ut de Deo interveniente nemo cogitet.

De divina igitur religionis Christianae origine idem valet quod de dogmatica antiqua universe. Supranaturalismo, quod ingenue fateor, opposita est aetas nostra quaeque inde prodiit theologia recentior. Quem si non admittit, hoc non inde explicandum est, quod religionem ipsam minoris faciat, sed ita potius ut, et historicorum et physicorum inventis ad theologiam adhibitis, aliam sibi informaverit notionem Dei et rationis quae inter Eum et mundum obtinet. Haec autem tantum abest, ut religionem excludat eive refragetur, ut singuli quorum animi pietati student in vita quotidiana eamdem notionem sequantur, quoties Deo tribuunt auctori, quae ex causis naturalibus explicanda esse probe norunt aut admoniti statim largientur. Sed quo melius appareat, quid inter utramque sentiendi rationem intersit, unum afferre iuvat exemplum. In primaevae Ecclesiae Christianae historia quantivis momenti esse PAULI ad CHRISTUM conversionem inter omnes constat: beneficae Dei curae, quae Christianos prosequebatur, documentum luculentius exstat nullum. Quodsi quaeritur, quomodo

hanc curam Deus manifestaverit, alii aliter respondent. Supranaturalismi fautores ad potissimam LUCAE narrationem, ter repetitam, provocant eamque PAULI ipsius testimonio confirmari perhibent: futuro suo Apostolo, Damascum tendenti, mirabili prorsus ratione IESUS apparuit et sic frenos quasi adhibuit; hoc interventu, quem utrum CHRISTO tribuas an Deo parum refert, et commutatio explicatur, quam PAULUS subiit, et comprobatur nostra de religione Christiana ex Deo orta persuasio. Qua de re sic sentiunt theologiae recentioris sectatores: asseveranti PAULO sese Dominum vidisse libenter credunt, sed phantasiae, non corporis oculis id factum esse affirmant. In tribus LUCAE narrationibus eam desiderant concordiam et perspicuitatem, quae in teste locuplete requiritur; non PAULUM ex LUCA, sed hunc ex illo explicandum esse monent; Apostolum seriori etiam aetate ἐν ἐκστάσει visiones contemplatum fuisse testimoniis evincunt; PAULI ingenium, adhibitis illius epistolis, sic exponunt, ut quo animo adversus Christianos saevierit, quid potissimum in illis reprehenderit, quid tandem scrupulum ei iniecerit, penitus perspiciamus; visionum denique originem et naturam, physiologia et psychologia in auxilium vocatis, sic explicant, ut quomodo tandem PAULUS CHRISTUM δεδοξασμένον videre potuerit dilucide appareat. Miraculum sic superest nullum; at superest CHRISTI spiritus, in animis fidelium habitans, ad veram pietatem et virtutem eos informans, inconcussam fiduciam, patientiam, mansuetudinem et mutuam caritatem iis tamquam inspirans. Hic enim spiritus, divinitatis suae optimus vindex, PAULI impetum fregit et fiduciam in Iudaïsmo positam labefactavit, donec tandem ex Pharisaeo Christianum faceret. Quid Vos sentiatis, AA.! ignoro: mihi vero haec divinae originis comprobatio et gravior et Deo dignior videtur quam vocis luminisque coelestis portentum, quod PAULI oculos potius quam animum percellere debuit.

Sic nihil religioni Christianae derogari apparet sublato supranaturalismo. Non ignoro equidem, haud paucos, his ratiocinationibus non permotos, illud pernegare, quos si audiamus, sic coaluit religio cum vulgari de illius origine theoria, ut sine hac stare illa nequeat. Quos quomodo redarguam, non video; nec tamen me perturbat confidentia, qua sententiam suam pronuntiant. Si PAULO ab Iudaeo-Christianis, si LUTHERO ab Episcopo Romano appellare ad suam conscientiam licuit, recentioribus theologis eum-

dem iudicem ferre licebit, cuius sententiam historia vel confirmet, vel infringat. Neque habent, nisi omnia me fallunt, quod historiae iudicium reformident. Quae si et PAULO et sacrorum reformatoribus qui seculo XVI fuere suffragatur; profecto non condemnabit eos, qui horum ad exemplum antiquatis formulis novas substituere conantur, temporibus quibus vivunt adaptatas. Negari enim nequit, multos hodie esse, quos a religione minime alienos placita Ecclesiae deterreant, ne Christianos sese profiteantur. Qui simulatque intellexerint, nostrae aetati non minus quam superioribus illud ius competere, quin etiam incumbere officium, ut *sua* sit et quam tenet persuasionem de religione Christiana eam formulis enuntiet, hodiernae disciplinarum conditioni consentaneis, sublatum est quod iis impedimento fuit. Quid si religionem ipsam, disruptis supranaturalismi claustris, maiorem etiam vim in hominum animos habituram esse contendam? Dualismus enim inter vitam et religionem, inter hominem atque Deum, quem recentiores theologi impugnant, tantum abest ut a CHRISTO ipso commendetur, ut eum potius in se ipso, vero homine eodemque plane divino, superasse dicendus sit. Sed his diutius immorari nolo: tanta enim est ingeniorum diversitas, ut quae alteri impedimento sunt, eadem alteri prorsus necessaria videantur. Desinere praestat in laudanda religionis Christianae praestantia, formarum quas induit varietate conspicua. Quae religio si penderet a quocumque tandem systemate dogmatico, vix aut omnino non effugeret communem rerum humanarum fragilitatem. Nunc vero perpetuae hominum progressioni neutiquam infensa, sed vi sua insita nova identidem placita gignens, perennis dicenda est. Quam religionis Christianae proprietatem, in Ecclesia Romana oppressam, quoniam Protestantes perspexerunt, penes hos est exemplo suo vindicare. Reformatorum progeniem ne capiat umquam originis suae oblivio! Utinam semper meminerint, sacrorum instaurationem seculo XVI inchoatam esse, necdum perfectam! Ne umquam theologiam cum religione confundentes illi tribuant, quae huic uni competit, perennitatem! Id potius agamus theologi, ut servemus aut restituamus concordiam, quae artium cognationi innixa omnes illas, quae ad humanitatem pertinent, coniungere debet. Sic, Deo adiuvante, efficietur, ut religio Christiana et vim suam beneficam in hominum qui nunc vivunt animos melius exserat, et ad posteritatem transeat incolumis!

Ad alteram accedo orationis partem, qua Academiae per annum praeteritum fata commemorabo. Quam quidem narrationem tristissimam fore nemo est Vestrum qui ignoret. Fuit enim hic annus Academiae nostrae in paucis luctuosus. Nec tamen, etiamsi lex repetitas has clades silentio premere sineret, aut mihi, aut ulli Vestrum omittendae esse viderentur. Diem enim Universitatis festum agentes pia decet recordatio illorum, qui dum in vivis erant eam et ornabant et amplificabant.

Academiae Curatores quum intuemur, desideramus in illis Amplissimum LUDOVICUM CASPARUM LUZAC, die 18 m. Februarii anni superioris vita defunctum. Quem eximium virum pro meritis laudare nec meum est neque huius loci. Qui recentissimam patriae nostrae historiam describet, is civem egregium depingat, verae libertatis amantissimum. Nos virum bonum lugemus, Academiae Lugduno-Batavae haud uno nomine coniunctum. Qualis aliquando eus alumnus fuerit, testem habemus Clar. VAN ASSEN, quem ex hoc ipso loco declarare meminimus, LUZACIUM literis humanioribus et iurisprudentiae sic operam dedisse, ut una cum BAKIO nostro Academiae decus haberetur et ornamentum. Idem ostendit specimen quod edidit inaugurale *de Q. Hortensio oratore, Ciceronis aemulo*, illo iuvene dignissimum, cui patruus IOHANNES LUZAC, cui summus LUDOVICUS CASPARUS VALCKENAER maternus avus erat. Quam Academiam adolescens ornaverat, eam deinde etiam caram habuit, quapropter gratissimum ei accidit, quod anno huius seculi 41mo Regis decreto ad res illius curandas vocatus est. Gravissimo huic muneri, quamvis reipublicae negotiis distentus, numquam defuit, ad vitam autem privatam reversus diligentissime vacavit. Praeterea idem haud una ratione de literis optime meritus est. Eximiam sibi comparaverat bibliothecam, quam non possidebat tantum, sed etiam in suum aliorumque usum convertebat. Et civibus et exteris, quibus erat facillimus ad eum aditus, qua erat benevolentia et comitate, thesauros suos lubens aperiebat. Easdem virtutes quotquot eum cognovimus experti sumus omnes. Sic nobiscum versabatur, ut nesciremus, utrum eum ob ingenii acumen et variam doctrinam admiraremur potius, an propter egregias animi dotes diligeremus. Testem habemus BAKIUM, inde a pueritia amicitiae vinculo ei iunctum; testes Vos, Collegae aestumatissimi! qui in familiaritatem illius admissi senem affabilem, ipsi iuniores, et venerati et amore prosecuti estis. Quis

igitur miretur, magno illius desiderio teneri carissimam coniugem, propinquos, amicos, cives Leidenses, omnes quibus Academiae salus curae cordique sit? Quo animo erga almam matrem fuisset LUZACIUS quum probe perspiceret, eius vidua VALCKENAERII supellectilem literariam una cum mille et octingentis virorum doctorum ad PERIZONIUM, WESSELINGIUM, VALCKENAERIUM et RUHNKENIUM epistolis, egregie dispositis, in Bibliothecam Academicam transferri iussit. Pretiosissima haec dona grati commemoramus. Nos quidem ne caperet umquam viri optimi oblivio periculum nullum erat; sed ita cautum est, ne posteri coniunctionis, quae inter LUZACIUM et Academiam Lugduno-Batavam obtinuit, fiant immemores.

E Professoribus duos lugemus, THEODORUM GUILIELMUM IOHANNEM IUYNBOLL et GUILIELMUM HENRICUM DE VRIESE.

IUYNBOLLII vitam enarrare et commemorare de literis merita luctuosum quidem sed dulce tamen mihi est officium. Variis enim nominibus ita me sibi devinxerat, ut eum laudando non legi tantum obtemperem, sed grati etiam discipuli et amici officio fungar.

Natus est de 6to m. Aprilis anni 1802 Roterodami, ubi proavi eius muneribus civilibus functi erant. Pater ei erat GUALTHERUS IOHANNES IUYNBOLL, causarum patronus et tabellio, mater CATHARINA IOHANNA PLA, quam puer quinquennis morte amisit. Paucis annis post pater eius secundas nuptias iniit cum matrona Hagana, IOHANNA DEEL, quae per totum vitae suae cursum privignum tenerrimo amore complexa est eique non noverca sed matris instar fuit. Roterodami primis literarum elementis imbutus IUYNBOLL cum parentibus suis Hagam Comitum se contulit, ibique a° 1812 Gymnasii discipulis adscriptus est. Praeceptores habuit imprimis viros doctissimos BAX et KAPPEYNE VAN DE COPPELLO, quos optime de se meritos esse semel iterumque ipse palam testatus est. Ex horum institutione a° 1821, eodem quo pater occidit, transiit ad scholas Academicas Leidenses, Literis Humanioribus et Theologiae operam daturus. Eidem Albi studiosorum paginae IOHANNES CLARISSE, Academiae Rector, inscripsit IUYNBOLLII et HENRICI ENGELINI WEYERSII nomina, quos adolescentes iam brevi post communia studia arcto amicitiae vinculo iunxerunt. Uterque theologiae operam dabant, ita tamen ut Literis Orientalibus omne tribue-

rent, quod ab hisce studiis supererat, otium. Utrumque alliciebant et PALMII elegantia et HAMAKERI acumen; uterque huic praecipue sese tradebant erudiendos. Quod quonam successu fecerint ipsa facta demonstrant. De WEYERSIO, cui primas deferre ipse commilito, qua erat modestia, solebat, nunc non ago: IUYNBOLLIUS quanto arderet literarum amore, quantamque in iis colendis adhiberet alacritatem et perseverantiam, mox apparuit, quum 3tio iam studiorum anno secundi in certamine literario honores ab Academia Lovaniensi concedebantur scriptae ab eo commentationi *de causis, cur regnum Iudae diutius persisteret quam regnum Israël;* quam, etsi fortasse prolixior est, egregium doctrinae et industriae iuvenilis specimen dicere nullus dubito. Quatuor annis post (a° 1828) IUYNBOLLIUS primum summos in theologia honores consecutus est publice defensa *Disputatione de Amoso;* dein, S. M. Candidatis adscriptus, brevi post a coetu Reformatorum in pago Voorhout vocatus est Verbi Divini Minister; tandem die 16to m. Novembris munus illud auspicatus est, quod per triennium fere tenuit. Felicissimo iam matrimonio iunctus, civibus acceptus, nihil quod expeteret porro esse putasset, nisi gravissimi muneris administratio, in qua fideliter versabatur, prohibuisset quominus studio Literarum Orientalium, quarum amore flagrabat, totum se traderet. Non invitus ergo obtemperavit Regis decreto, quo in Athenaeo Frisiaco Literarum Orientalium professor creatus est. Die 22do m. Iunii anni 1831 orationem habuit *de hodierna studii linguarum Orientalium conditione* inauguralem; post ferias autem aestivas muneris sui officiis fungi coepit.

De Franequerana IUYNBOLLII statione pauca tantum monenda sunt. Scholas habuit de grammatica linguarum Semiticarum, de Hebraeorum antiquitate, de V. Foederis interpretatione, quibus postea accesserunt lectiones isagogicae. Discipulis interioris admissionis non tantum varias V. Foederis partes explicuit, sed scriptores etiam Arabicos. Semel, vacante cathedra theologica, scholas suscepit de Euangelio MATTHAEI exegeticas. Ad Semiticas literas gentesque pertinent pleraque scripta, per hanc vitae periodum ab eo sive edita, sive elaborata. Nec tamen intra hunc campum sese continuit, quod ostendunt *Symbolae* eius *literariae*, in quibus etiam de reliqui Orientis geographia, a peregrinatoribus illustrata, retulit. Iam tunc igitur eum alliciebant studia geographica, quibus posthac tantum laboris impendit. Sed

antea quam fere totum se his traderet, aliae disquisitiones absolvendae erant. Franequerae adhuc consilium iniit edendi chronici Arabici, quod *Liber Iosuae* inscribitur et Samaritanorum historiam illustrat. Difficillimo huic negotio implicitus Groningam vocatus est, qui vacantem WOLTERSII morte cathedram occuparet: e studiis, in quibus tunc versabatur, desumsit materiem orationis inauguralis, quam habuit *de gente Samaritana*, die 25[to] m. Martii anni 1841. Quod otium a laboribus Academicis ei supererat, id omne et chronici editioni et historiae gentis Samaritanae tribuit. Ceterum Groningae per quadriennium versatus restituit plane literarum Semiticarum studia, antea illic misere neglecta. Tam publicis lectionibus quam privatis Academicae iuventuti harum literarum amorem instillare conabatur, eo quidem successu ut omnes lubenter eum audirent nec pauci eo duce in disciplinae arcana penetrarent. Non facundia totos ad se rapiebat et convertebat iuvenes, sed partim magna erga omnes benevolentia, partim ingenti illo studiorum amore, qui neminem diu latere poterat, eosdem ad se veluti alliciebat. Placebat praeterea adolescentibus liberior de rebus criticis et historicis sentiendi ratio, quam DE WETTIUM fere secutus prudenter ostendere solebat. Quanti autem eum facerent Collegae, gradum doctoris Literarum Humaniorum antequam huc migraret in eum collato luculente demonstrarunt.

Annos quos Groningae transegissit IUYNBOLLIUS vitae suae felicissimos praedicare solebat. Post WEYERSII mortem Leidam vocatus obtemperavit quidem, sed paene invitus. Optime enim noverat, quam latam susciperet provinciam, probe quidem cognitam, attamen tam longe distantem ab eo campo, in quo vitae suae collocasset tabernaculum, ut in ea administranda gravissimae superandae essent difficultates. Muneris enim, quod Franequerae et Groningae obibat, haec erat ratio, ut Hebraeorum literas et antiquitatem praecipue doceret, quibus tamquam adiungeretur lingua Arabica. Numquam suspicari potuerat nec speraverat, fore ut legati Warneriani interpretatio, cum Arabicarum literarum professione arcte coniuncta, quam WEYERSIUS, ipsius aequalis, egregie curaret, sibi mandaretur. Quod postquam factum est, gravissimum munus non recusandum duxit et inde ab anno 1845 sic sustinuit, ut et de Academia nostra et de Literis Orientalibus optime mereretur. Singula eius scripta enumerare longum est: ea tantum commemoro, quae ad Samaritanos spectant, alibi inchoata, hic absoluta et

edita; quae geographiam illustrant, industriae et perseverantiae documenta egregia, ad accuratam Orientis cognitionem utilissima; annalium denique ABU'L-MAHASINI editionem, quam quominus ad finem perduceret mors praematura prohibuit. Hisce laboribus exantlandis intentus tantum abest ut codices manuscriptos, qui in Bibliotheca Academica servantur, Interpretis curae mandatos, negligeret, ut summam potius in eorum numero augendo diligentiam adhiberet. Quanti faceret hanc Bibliothecam ipse elocutus est in oratione, quam ante hos octo annos de magistratu Academico decedens habuit, sed multo clarius factis ostendit. Catalogi enim editionem pro virili parte maturavit; eorum porro, qui his libris uti volebant, desiderio cum magno saepe temporis detrimento satisfacere solebat. Praeterea discipulis suis instituendis plurimum laboris curaeque impendit. Quodsi variis negotiis implicitus in scholis publice habendis acquievisset, nemo sane hoc ei vitio vertere poterat. At longe aliter muneris sui officia intellexit et explevit. Vix in auditorum suorum numero unum alterumve animadverterat, qui a Literarum Orientalium studio haud prorsus esset alienus, quum illum excitabat, in familiaritatem suam admittebat, studiorum ducem et comitem se ei offerebat. Ita quidem fieri vix potuit, quin nonnulli in illius disciplinam se traderent, qui satius egissent, si intra arctiores fines sese continuissent; his vero mox deterritis alii supererant, qui ulterius progressi speciminibus, IUYNBOLLIO auspice a se editis, literis prodesse potuerunt. Qui aequum de magistro iudicium ferre cupit, is discipulos adeat, quos hunc in modum sibi devinxit. Uno ore testabuntur, nihil IUYNBOLLIO antiquius fuisse quam ut discipulorum studia adiuvaret et commodis prospiceret; nullum umquam eum abnuisse laborem, quoties ipsorum et Literarum Orientalium res ageretur; non praeceptorem tantum, sed amicum etiam certum eum se praestitisse.

Usque ad vitae exitum in munere suo sic obeundo perseveravit, quamquam saepius conflictabatur corporis debilitate, quam continui labores sine dubio augebant. Per ultimos vitae suae menses, quos in vico maritimo Scheveningen degit, maiori illi operi geographico, quod edebat, continuando intentus erat. Hinc vero in civitatem nostram reversus gravissimo morbo correptus est, cui die 16to m. Septembris succubuit. Hanc cladem, quae domum eius perculit, mox alias easque gravissimas secutas fuisse,

quis nostrum ignorat? In dierum illorum memoriam redeuntes etiamnunc horrescimus. Praestaret sane infandum hunc dolorem non renovare, nisi simul recolere liceret beneficam illam vim, quam in viduam liberosque, quamvis acerbissimo luctu depressos, habuit et sanctissima CHRISTI religio, graviter afflictis solatia afferens, et vitae laudabiliter a coniuge et patre peractae pia recordatio. Quae neque in IUYNBOLLII domo umquam exstinguetur, nec nobis, collegis, amicis, discipulis facile excidet. Virum enim amisimus bonum, modestum, strenuum Academiae et disciplinarum propugnatorem, discipulorum ducem fidelem, patronum acerrimum, amicum integerrimum. Beatos merito predicamus, de quibus defunctis sic ex animo testari licet!

Quanta sit rerum humanarum inconstantia raro clarius quam in DE VRIESII fato apparuit. Anno superiore Academiae regundae munus suscipiens, DE VRIESIUM, in patriam mox rediturum, mihi successorem datum iri autumabam, hodie ex hoc ipso loco salutandum. Rediit sane, at corporis viribus fractus, ut iam tunc de salute eius solliciti essemus. Ad gravissimum morbum quum accederet duplex clades domestica, — uxorem enim, quacum per triginta fere annos iunctus fuerat, filium dein unicum flebili morte amisit; — aucta est haec nostra anxietas, quam eheu! eventus comprobavit. Ita quidem non dicam refectus, sed mentis vigore tamquam erectus est et sustentatus, ut publice habere potuerit orationem, qua coram auditoribus Academicis de itinere in Indiam Orientalem suscepto rationem reddidit. Sed vi morbi lento gradu procedentis consumptus tandem die 23^{tio} m. Ianuarii cum morte vitam commutavit.

Nemo profecto Vestrum a me, theologo, exspectabit, ut Clar. DE VRIESE vitam fuse enarrem deque eius in disciplinam botanicam meritis exponam, quod tam brevi interposito temporis intervallo ne eiusdem quidem disciplinae peritus rite facere possem. Praecipua potius eius fata brevissime sic commemorabo, ut quam tristis sit et quasi tragicus vitae illius exitus persentiscamus. Natus igitur GUILIELMUS HENRICUS DE VRIESE d. 11mo m. Augusti anno 1806 in pago Brabantiae Septentrionalis Oosterhout, in Gymnasio Leidensi imprimis a Doct. BOSSE institutus, ab anno huius seculi 25to Academiae nostrae civis, per quinquennium disciplinis physicis et Medici-

nae operam dedit, donec d. 20mo m. Decembris anni 30^{mi} summos in hac arte honores consecutus est. Roterodami, ubi praxin medicam exercebat, anno proximo in schola clinica creatus est Lector Botanices, in qua quid valeret iam 3° studiorum anno ostenderat, conscripta commentatione, quam nummo aureo dignam iudicarunt Professores Groningani. Inde ab eo tempore studio acerrimo eam disciplinam coluit, quam ab anno 34to in Illustri Athenaeo Amstelodamensi publice professus est. Extraordinariam professionem anno 42do cum ordinaria, hanc autem d. 27to m. Septembris anni 1845 cum professione Leidensi commutavit, REINWARDTIO, ob septuagenariam aetatem rude donato, succedens. Eam provinciam quam egregie administraverit, quam bene et de discipulis suis et de horto botanico et de Museo Splitgerberiano meritus sit, alii exponent harum rerum periti, quorum laudibus nec fides deërit nec pondus. Me scripta illius oculis perlustrantem identidem subibat cogitatio, totum studiorum eius cursum praeparare et quasi praesagire iter illud Indicum, quod tandem ingressus est. Quamvis enim in botanicis hospes, hoc persentire mihi videor, gestire animum eorum, qui hisce studiis vitam dicaverint, ut ipsam naturam praesentem adspiciant, quam quo diligentius exploraverunt, eo magis admirantur. Quodsi sua quemque trahit voluptas, quis non intelligit, naturae scrutatorem et interpretem ingenti desiderio teneri visendi eas regiones, quae fertilitate, quae plantarum luxuria et varietate reliquas omnes superant? Hoc si in quovis botanico valet, praesertim in DE VRIESIUM convenire dicendum est. Eam enim Botanicam quum coleret praesertim, quam descriptivam s. specialem dicere solent, ex hoc campo latissime patenti nullam partem lubentius elaboravit, quam quae ad patriae colonias transmarinas spectat. Tum edita REINWARDTII peregrinatione in insulas Moluccenses, tum divulgatis eiusdem disquisitionibus de plantis Indiae Batavae Orientalis, tum dissertationibus de earum regionum arboribus et plantis utilibus q. d., luculente ostendit quorsum eius animus traheretur. Accedebat, quod accuratissimam proventuum Indiae cognitionem mercaturae et rei operariae utilissimam fore exstimans, illam pro virilli parte augere suum censebat. Tandem voti compos factus, anno 1857 m. Octobri in Indiam profectus est. Praecipuas eius partes peragravit; gravissimos interdum labores perpessus est; plurima collegit, quae quantum alla-

tura fuissent civitati commodum ex iis cogere licet, quae in India sive edidit, sive cum praefectis communicavit. His omnibus peractis et superatis in patriam rediit. In eo iam erat, ut quae ipse viderat et collegerat digesta et ordinata in communem converteret usum. Ecce eheu! in ipso quasi portu naufragium facit, antequam thesauris suis frui possit, qui, si vel post eius mortem patriae et botanicae disciplinae proderunt, neque eam afferent utilitatem, quam eo vivo attulissent, neque erunt DE VRIESIO ipsi pro dulcissima tantorum laborum compensatione. Sed hanc verbis ornare, cui ipsi tamquam adfuimus, tragoediam nihil opus est. Ea potius in memoriam revocanda sunt, quae animum his cogitationibus oppressum erigere possint. Quod enim laboribus nostris statuendum est pretium, non a fructibus pendet quos ipsi inde perceperimus, sed ab interna eorum bonitate, ab ardore et perseverantia, laudabili proposito adhibitis. Haec autem si respicimus, DE VRIESII vita, etiamsi debita mercede caruisse videatur, pulcherrima dicenda est. Sine ulla enim intermissione disciplinae, cui totum se tradiderat, dicata fuit. Domui suae graviter afflictae hanc puram atque incontaminatam reliquit memoriam, nobis autem omnibus, qui Academiae causa obitum illius lugemus, exemplum praeclarum. Quod qui imitatur, DE VRIESII instar et aequalibus utilissimus vivet et apud posteros debito sibi honore non carebit!

Ad hanc calamitatem, disciplinae botanicae illatam, nuperrime (die 3tio m. Februarii) accessit obitus CAROLI LUDOVICI BLUME, Herbario publico praefecti, titulo Professoris honoris causa ornati. Nomen eius, quod per 30 fere annorum spatium cum Academia nostra coniunctum fuit, silere nolui, sed nihil longius a me abest, quam ut virum clarissimum, vix funere elatum, laudare animum inducam. Nec meis profecto laudibus indiget, qui libris de *Flora Iavae et insularum adiacentium* a se editis monumentum exegit aere perennius, quo praeter suam famam Universitatis Lugduno-Batavae splendorem auxit. Mortem illius nostra etiam causa lugentes, uxorem liberosque, carissimo coniuge et patre orbatos, benignae Dei curae commendamus, quae gravissimos quosque dolores sublevare valet!

In commemorandis iis, quae Academiae tristia acciderunt, hic subsistam. Unum quidem superest, quod, si ratum fieret, omnes moerore

perfunderet, quibus sive cum Universitate Lugduno-Batava, sive cum Iurisprudentia docte exculta aliqua intercedat necessitudo. Neminem Vestrum latet, Clar. DE WAL adversa valetudine prohibitum, quominus munere suo Academico sicuti ipse vellet fungeretur, abdicandi consilium iniisse. Quae res ut innotuit, Senatus Academicus uno consensu in hoc consilio non esse acquiescendum censuit, quum praesertim Clarissimi in Ordine Iureconsultorum Antecessores, quo sunt erga collegam coniunctissimum animo, vices eius ad tempus sustinere parati essent. Regem igitur scripto adiit petiitque, ut Clarissimo DE WAL frui otio, quo ad restituendam valetudinem indigeret, dein huc redire et provinciam denuo obire liceret. Nec vereor, AA.! ne sit in Vestro numero qui hac de re a nobis dissentiat. Qnapropter sollicitudini nostrae ne indulgeamus! Quod enim malum deprecamur cuncti, Curatores, Professores, Studiosi, illud avertet Regis Augustissimi sapientia, qua hoc effectum iri speramus et vovemus, ut quam primum integer ad nos revertatur Vir Clarissimus, cum cuius salute antiqua huius Academiae gloria arcte coniuncta esse videtur.

In Amplissimi LUZACII locum successit Vir Nobilissimus EUGENIUS IOHANNES ALEXANDER Comes VAN BYLANDT, quem praesentem hic adspicere et salutare iucundissimum nobis est. Res Academicas Tibi commendare, Vir Amplissime, supervacaneum mihi videtur. Gravissimum enim Curatoris munus nec Tibi mandasset Rex Augustissimus, nec Tu obiisses, nisi magno flagrares disciplinarum et literarum amore, quem praeterea in quinquenni Tua huius regionis administratione luculente ostendisti. Utinam Tibi contingat tua quoque cura huius Musarum sedis florem augere atque splendorem! Omnibus iis, quae una cum collegis Tuis pro Academiae salute suscepturus es, propitius adsit Deus Optimus Maximus!

Reliquos Curatores salvos esse ex animo laetamur. Leonis Neerlandici eques creatus est Amplissimus TIEBOEL SIEGENBEEK. Novimus equidem, vir honoratissime, Tibi nec civitatis huius Consuli, neque Academiae Curatori, sed aliis in rebus optime de republica merito hoc Regiae voluntatis documentum contigisse. Nec tamen silentio illud hodie praeterire voluimus. Tanta enim est Tua erga nos omnes humanitas, tanta benevolentia, ut quidquid Tibi honoris accedat, eo nos lubenter gloriemur. Pergas diu

etiam omnium amore tibi conciliando rebus Tibi mandatis optime prospicere!

Ex emeritis Professoribus nullum morte amisimus. TYDEMANNUM, qui hoc die festo adesse solebat, aegre desideramus: senem nuperrime filio dilectissimo et nepte orbatum Dei numen sustentet et consoletur! Praesentes Vos adspicere, Clarissimi VAN HENGEL et BAKE, gratissimum mihi est. Admirari quotidie solemus Vestram ingenii perspicacitatem et laborum patientiam, quibus etiamnunc nobis iunioribus exemplo estis. Incolumes Vos servet Deus, cui pro salute Vestra vota nuncupant cuncti, quibus theologia et philologia rite excultae curae cordique sunt!

Optime Vos de Academia meremini, Clarissimi RUTGERS et DOZY, qui hoc anno IUYNBOLLII locum in tradenda grammatica linguae Hebraeae et dialectorum affinium supplere voluistis. Quod quum grato animo agnoscant theologiae studiosi, tum egregiam Vestram institutionem laudibus extollere solent. Accipite grates, quas Vobis non tantum ordo theologorum sed tota Academia debet!

Placuit Augustissimo Regi duos e Professorum numero Leonis Neerlandici equites creare, GERARDUM CONRADUM BERNARDUM SURINGAR et CAROLUM GABRIELEM COBET. Quomodo nos de Vobis sentiamus, Collegae aestumatissimi! iam dudum novistis. Ergo vel tacente me intelligitis, quam sit nobis gratum et acceptum, quod a Rege Eiusque consiliariis honorifice agnoscuntur praeclara vestra institutio et de literis merita, laudibus meis maiora, civibus exterisque probe cognita. Utinam per longam annorum seriem et nominis Vestri celebritatem et Academiae Lugduno-Batavae splendorem tueri et augere Vobis contingat!

De literis non tantum patriis sed universe Germanicis optime merentem Clar. DE VRIES in epistolarum de re literaria commercium cooptavit Regia Scientiarum Academia Borussica. Quem honorem, a viris harum rerum peritissimis in Te collatum, nos, amicissime DE VRIES, ex animo Tibi gratulamur. Quodsi forte Batavi, non adeo ut Te magni faciant, sed ut Tuos labores adiuvent, incitamento indigent extraneo, eo haec Germanorum de Te existimatio conducat, ut Tuis pro patriis literis conatibus suus constet honos!

De Academico instrumento ac supellectili pauca addenda sunt; singula enim incrementa enumerare longum est. Spes nobis facta est fore ut brevi incommodis subveniatur, quae libris in Bibliotheca Academica servatis aqua coelestis et loci angustiae pariunt. Praeterea votis semel iterumque pro catalogo edendo nuncupatis iamiam satisfiet: PLUYGERSII nostri auspiciis eatenus elaboratus est, ut nisi spe fallamur hoc ipso anno typis mandari possit.

Ad Museum Nummarium tot nummos accessisse audivimus, ut libenter Clarissimo VAN DER CHYS fidem habeamus affirmanti, in eo esse ut Academia nostra thesaurum possideat, qualis Universitatem maiorem decet. Iam nunc et Musei et eius praefecti famam peregre quoque sparsam esse ostendit anno superiore Academia Matritiensis, Clar. VAN DER CHYS in sociorum exterorum numerum adscito, quem honorem ei gratulamur. — Reliqua etiam Musea Academica et laboratoria assiduam praefectorum curam testantur. Idem de horto botanico et de specula astronomica valere sponte intelligitur. Tubi illi optici maiores, quibus haec iam instructa est, proposito suo egregie satisfaciunt. Quo magis laetamur cum Clarissimo KAISER, quod legi de altero observatore creando latae assensum praebuerunt Ordines Generales. Impedimenta, quae etiamnunc restant, ab eo superatum iri pignus nobis est nominis illius splendor, in mediis difficultatibus partus, quem utinam augeat nova specula, astronomiae, eo auspice, utilissima!

Ad tabulas pictas, quae in Senaculo servantur, accessit imago Celeberrimi ANTONII WALAEI, Theologiae quondam Professoris, qua aegre carebamus. Factum hoc est liberalitate Viri Nobilissimi Baronis VAN ITTERSUM, brevi ante demortui. Quod benefactum eo lubentius publice commemoro, quo gratius illud donum Senatui fuit.

De Nosocomio utinam splendido illo encomio uti possem, quod mihi reservatum esse sperabat magis quam confidebat anno superiore Clar. DE WAL. At, eheu! splendidi nihil commemorare licet. Sane non sunt debita laude defraudandi Amplissimi Curatores, quod Academiae iura et commoda strenue vindicarunt; sed eorum conatus prosperos successus nondum habuerunt, id quod non nostra tantum sed civitatis etiam Leidensis causa dolemus. Nobis vero nihil aliud relictum est, quam ut quavis data

opportunitate ceterum censeamus, condendum esse Nosocomium Academia Lugduno-Batava dignum!

Tandem ad Vos me converto, lectissimi iuvenes, Academiae nostrae alumni! Nobiscum lugetis obitum trium e commilitonibus Vestris, IOHANNIS FREDERICI PRINS, ADAMI VIJFHUIS, ANTONII IACOBI IUYNBOLL, qui in aetatis flore exstincti magnum sui desiderium parentibus, praeceptoribus, amicis reliquerunt. Sic quivis fere annus Vos admonet, ut vitae et rerum terrestrium fragilitatis memores, ea sectemini quae vera, quae honesta, quae pulchra ideoque sempiterna sunt! Plurimos Vestrum iam ea appetere laeti testamur. Mihi quidem iucundissima erit magistratus Academici recordatio, per quem tantum abfuit ut molestiam mihi afferretis, ut magnam potius exhibueritis benevolentiam, quae ubi mutua adest, quiescit sine damno auctoritas. Quod vero pluris faciendum est, ita variis disciplinis operam dedistis, ut a praeceptoribus comprobari possitis et Vobis ipsis grata aliquando futura sit huius anni memoria. Sed praesentes Vos non laudabo nec reprehendam tardiores. Hoc vero rogo Vos et obtestor: pergite, iuvenes generosi! qua recte coepistis! Cordi Vobis sit huius Academiae gloria antiqua! Hanc tueri Vestrum quoque censete! Sic parentibus gaudio, Academiae ornamento, patriae in posterum utilissimi eritis!

Superest ut Rectoris munus tradam Clarissimo RIJKE, qui ex Regis decreto in locum meum succedet. Salve, Vir Magnifice! iterumque salve! In hac Universitate regenda propitius Tibi adsit Deus Optimus Maximus, cuius auxilium mihi numquam defuit. Sic Te Rectore crescat floreatque Academia Lugduno-Batava!

ANNOTATIO.

IUYNBOLLII scripta haec sunt:

Commentatio ad quaest. liter. qua expositio postulatur causarum, quibus effectum sit, ut regnum Iudae diutius perstiterit quam regnum Israël. (Lovanii, 1824 et in *Annal. Acad. Lovaniensis* anni 1824.)

Disputatio de AMOSO (L. B. 1828).

Oratio de hodierna studii linguarum orientalium conditione (Franeq. 1832 et in *Annal. Acad. Groning.* anni 1831/32.)

Oratio de H. A. HAMAKERO, studii LL. OO. in patria nostra vindice praeclaro, dicta publice d. XXI Sept. 1836, quum Athenaei quod Franequerae est regundi munus solenni ritu deponeret (Gron. 1837 et in *Annal. Acad. Groning.* anni 1835/36).

Letterkundige bijdragen. I. Opmerkingen tot toelichting van eenige punten der Hebr. letterkunde en der Grieksche, Romeinsche, Carthaagsche en Numidische oudheid, bijeenverzameld of opgemaakt uit de verklaring der Phenicische, Punische en Numidische opschriften (Leiden, 1838); II. Beschrijving van een Arabischen Codex der Franeker Bibliotheek, bevattende de 4 evangeliën, gevolgd van eenige opmerkingen, welke de letterkundige geschiedenis van de Arabische vertaling der evangeliën betreffen (Leiden, 1838); III. Proeve tot opheldering van den toestand van Midden-Azië in vroegere eeuwen — —, naar de nieuwste ontdekkingen en het onderzoek deswegens door eenige geleerden in het werk gesteld, behandeld en opgemaakt (Leiden, 1840).

Commentatio de carmine Motanabbii, in Europa nondum edito. (In *Orientalium* edd. IUYNBOLL, ROORDA, WEIJERS Vol. I. [Amstel. 1840] p. 191—294).

Sermo de H. E. WEIJERS, die XVII April. 1844 ad discipulos habitus (Groningae, 1844).

Oratio de praecipuis progressibus, quos literae semiticae hoc ipso decennio fecerunt, habita die XXI Iunii anni 1845, quum phil. theor. et litt. hum. professionem in Acad. L. B. auspicaretur (L. B. 1845).

Commentatio de versione Arabico-Samaritana et de scholiis, quae codicibus Parisiensibus n°. 2 et 4 adscripta sunt. (In *Orientalium* Vol. II. [Amstel. 1846] p. 115—157).

Commentarii in historiam gentis Samaritanae (L. B. 1846).

Censura libri c. t. *Reize van* BENJAMIN *van Tudela, door* S. KEYZER, in opere periodico *de Gids*, 1847, Boekbeoordeelingen p. 132—144.

Chronicon Samaritanum, arabice conscriptum, cui titulus est Liber Josuae. Ex unico codice SCALIGERI nunc primum edidit, Latine vertit, annotatione instruxit et dissertationem de Codice, de Chronico et de quaestionibus, quae hoc libro illustrantur, praemisit TH. G. I. IUYNBOLL. (L. B. 1848).

Lexicon Geographicum, cui titulus est مراصد الاطلاع على اسماء الامكنة والبقاع. E duobus Codd. Mss. nunc primum Arabice edidit T. G. I. IUYNBOLL. Tomus I (L. B. 1852); Tomus II (1853); Fasc. VII (1853); Fasc. VIII, textus Arabici ultimus (1854); Fasc. IX, continens introductionem in hunc librum et annotationem ad duos priores fasciculos (1859). Post IUYNBOLLII mortem editus est Fasc. X, complectens annotationem in literas ذ — ج (1862).

Abu'l-Mahásin ibn Tagri Bardii Annales, e Codd. Mss. nunc primum Arabice editi. Tom. I partem priorem edd. IUYNBOLL et B. F. MATTHES Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doctor (L. B. 1852); Tom. I partem posteriorem edd. iidem (1855); Tom. II partem priorem ed. IUYNBOLL (1857); Tom. II partem posteriorem, complectentem annotationis supplementum et indices, ed. IUYNBOLL (1861).

Censura libri c. t. *Handboek voor het Mohammedaansch regt, uitgegeven door* Mr. S. KEYZER etc., in opere periodico *de Gids*, 1854, II. p. 701—708.

Oratio de Codicum orientalium, qui in Academia Lugduno-Batava servantur, bibliotheca (L. B. 1854 et in Annal. Academicis anni 1853—54).

ULRICH JASPER SEETZEN, in opere periodico *de Gids*, 1857, II. p. 598—625.

IUYNBOLLII auspiciis *Specimina e literis orientalibus* ediderunt:

A. KUENEN, Liber Geneseos secundum Arabicam Pentateuchi Samaritani versionem, ab Abu Saïdo conscriptam, e tribus Codd. editus (L. B. 1851).

I. ANSPACH, Historia Kalifatus al-Walidi et Solaimani, sumta ex libro cui titulus est etc., e codice Leid. nunc primum edita (1853).

M. SALVERDA DE GRAVE, az-Zamakhscharii Lexicon Geographicum, e Codice Leid. nunc primum editum (1856).

M. J. DE GOEJE, Descriptio al-Magribi, sumta e Libro Regionum al-Jaqubii (1860).

A. W. T. IUYNBOLL, Kitábo'l-Boldán s. Liber Regionum, auctore Ahmed ibn Abi Jaqub, noto nomine al-Jaqubii, nunc primum Arabice editus (1861).

Societates literariae et Academiae, quae IUYNBOLLIUM in sociorum suorum numerum receperunt, sunt: Maatschappij der Nederl. Letterkunde (1831—1854); Provinciaal Utrechtsch Genootschap van Kunsten en Wetenschappen (1838); Bataviaasch Genootschap (1843);

Deutsche Morgenländische Gesellschaft (1845); Genootschap voor Taal-, Land- en Volkenkunde van Nederlandsch Indië (1853); Académie Belge d'histoire et de philologie (1853); Koninklijke Akademie van Wetenschappen gevestigd te Amsterdam, Afdeeling voor de Taal-, Letter-, Geschiedkundige en Wijsgeerige wetenschappen (1854).

De IUYNBOLLIO porro conferenda sunt quae scripserunt A. KUENEN (*Konst- en Letterbode*, 1861 n. 41); M. J. DE GOEJE (*Nederl. Spectator* 1861 n. 41) et H. J. KOENEN (*Jaarboek der Kon. Akad. v. Wetenschappen*, 1861, p. 129—135).

Scripta DE VRIESII, quae ad notitiam meam pervenerunt, haec sunt:

Responsio ad quaestionem: Quid hactenus ex plantarum physiologia de forma, directione, structura et functione radicum innotuerit, et quaenam sint phaenomena in oeconomia rurali observata, quae ex hac cognitione utiliter explicari possint? — quae praemium reportavit. (In *Annalibus Acad. Groninganae* anni 1826/27.)

Specimen Academicum medicum, quo praecipuae exponuntur methodi, quibus utitur Therapeutice naturalis ad sanandos corporis humani morbos chronicos, quod d. XX Dec. 1830 horâ II—III defendet G. H. DE VRIESE. (L. B. 1830).

Memoria HENRICI GUILIELMI WAARDENBURG (L. B. 1833).

Ab anno 1834 ad 1845 prodiit: J. VAN DER HOEVEN et W. H. DE VRIESE, Tijdschrift voor Natuurlijke geschiedenis en Physiologie, Tom. I—XII (Lugd. Bat.). His voluminibus DE VRIESII disputationes insunt sequentes:

Vol. I. (1834).

Over de ster-anys, *Illicium anisatum L.*

Vol. II. (1835).

Proeve eener geschiedkundige botanische verhandeling over den *Papyrus antiquorum*.

Vol. III. (1836).

Aanteekeningen omtrent den groei der bloeisteng van twee *Agave's*.

Het gezag van KAEMPFER, LINNAEUS, THUMBERG en anderen, omtrent den botanischen oorsprong van den ster-anijs, gehandhaafd tegen Dr. TH. F. V. SIEBOLD en Prof. ZUCCHARINI.

Vol. IV. (1837).

De *biforines* van TURPIN, eene nieuwe ontdekking in de kristallographie van het plantenrijk.

Novae species Cycadearum Africae australis figuris et descriptionibus illustratae.

Vol. V. (1838).

Encephalartos Marumii, nova species Cycadearum.

Vol. VI. (1839).

Kleine bijdragen tot de natuurlijke geschiedenis der *Cacteën*.

Vol. VII. (1840).

VROLIK en DE VRIESE, over de verandering welke de dampkring ondergaat, staande het ontwikkelen van verhoogde warmte in de bloeikolf der *Colocasia odora*.

Vol. VIII. (1841).

Bijdrage tot de morphologie der bollen.

Herinnering aan FRANS JULIUS FERDINAND MEYEN.

Vol. X. (1843).

De Encephalarto Lehmanni Eckl.

Over eene verzameling eigenhandige brieven van beroemde en geleerde personen aan CAROLUS CLUSIUS, voorhanden op de bibliotheek der Hoogeschool te Leiden.

Vol. XI. (1844).

Over eene *Casuarina* op Sumatra door F. JUNGHUHN ontdekt.

Plantarum iavanicarum, minus cognitarum vel novarum, nuper in hortum botanicum Amstelodamensem introductarum sylloge.

Vol. XII. (1845).

Zamia Galeotti, eene nieuwe soort uit de groep der Cycadeën, gekweekt in den hortus botanicus te Amsterdam.

Over eene nieuwe *Bromelia* in den Amsterdamschen kruidtuin.

Nog een woord over den stam van *Cycas circinalis* en dien van *C. revoluta*, naar aanleiding van onlangs uit Java ontvangen exemplaren.

SPLITGERBERS botanische nalatenschap. Uitstapje naar het district Para in de kolonie Suriname, uit zijne nagelaten aanteekeningen medegedeeld.

Myanthus Lansbergii, nova species *Orchidearum* horti Botanici Acad. Lugd. Bat.

Oratio de progressu physiologiae plantarum, prudenti naturam indagandi rationi tribuendo. (In *Ann. Acad.* L. B. anni 1834/35).

Plantenkunde voor Apothekers en Artsen of Beschrijving der geneeskrachtige planten naar de natuurlijke familiën van het Plantenrijk. (Leiden 1835—1838.)

K. S. KUNTH, Handboek der Botanie. Uit het Hoogduitsch vertaald door N. B. MILLARD, met eene voorrede van W. H. DE VRIESE, 2 tom. (Amst. 1836).

Handboek voor de kennis der geneesmiddelen etc. 4 tom. (Amst. 1837).

Nieuwe Bijdragen tot de kennis van de Maïs of zoogenoemde Turksche tarwe, naar aanleiding van het werk van MATTHIEU BONAFOUS (Hag. com. et Amst. 1837).

Herinnering aan de tentoonstelling van planten te Utrecht, bij het 2de eeuwfeest der Hoogeschool aldaar (Amst. 1837).

Hortus Spaarnbergensis. Enumeratio stirpium, quas in villa Spaarnberg prope Harlemum alit ADR. VAN DER HOOP. (Amst. 1839.)

W. H. DE VRIESE et VROLIK, nouvelles expériences sur l'élévation de température du spadice d'une *Colocasia odora*, faites au jardin botanique d'Amsterdam. (Seorsim impr. ex. Annales des Sciences Naturelles, 1839).

Berigten van proefnemingen aangaande het overbrengen van levende planten uit overzeesche landen naar Europa, inzonderheid uit Indië naar Nederland. (Amst. 1840.)

Redevoering over de Maatschappij *tot Nut van 't Algemeen* in betrekking tot de zedelijke behoeften voor ons vaderland in den tegenwoordigen tijd, uitgesproken ter opening van de jaarlijksche Algemeene Vergadering der Maatschappij, op den 10[den] Augustus 1841.

Protrepticus ad commilitones cet. (Historia rei herbariae.) (Amst. 1841.)

Eenige opmerkingen aangaande den stam van *Cycas circinalis*, vooral met betrekking tot de afbeeldingen, daarvan voorkomende in het III[de] deel van den Hortus Malabaricus (in Het Instituut. Tijdschr. uitgeg. door het Kon. Ned. Inst. I (1841) p. 217 sqq.; III (1843) p. 93 sqq).

Berigt aangaande een onlangs uit Java ontvangen *Cycas circinalis* L., gekweekt en thans bloeijende in den kruidtuin der stad Amsterdam. (Amst. 1842).

J. LINDLEY, Grondbeginselen der Horticultuur. Naar het Engelsch, met bijlagen van W. H. DE VRIESE. (Hag. com. et Amst. 1842.)

Over de anorganische bestanddeelen der planten. Onderzoekingen van Dr. A. WIEGMANN en L. POLTSDORFF (L. B. 1843).

A. DIETRICH, Kunstwoordenleer der planten. Uit het Hoogduitsch vertaald door W. H. DE VRIESE. (Amst. 1844.)

FRED. LOUIS SPLITGERBER, Nederlandsch Kruidkundige. (Amst. 1845.)

Oratio de re herbaria Batavis non minus quam reliquis Europae populis excolenda, quam habuit die XXVII mensis Septembris 1845, quum ordinariam botanices in Academia Lugd. Bat. professionem solemni ritu auspicabatur. (L. B. 1845.)

Plantae novae et minus cognitae Indiae Batavae orientalis. Nouvelles recherches sur la flore des possessions Neerlandaises aux Indes orientales. Ouvrage orné de planches dessinées par le colonel S. M. E. VERHUELL, fasc. I. (Amst. 1845).

Inde ab anno 1846 prodiit opus periodicum c. t. Nederlandsch Kruidkundig Archief, curantibus DE VRIESIO et aliis viris doctis editum. DE VRIESII disputationes hoc opere continentur sequentes:

Vol. I. (1848).

Bijdragen tot de kennis der flora van Sumatra, naar aanleiding van de onderzoekingen van Dr. JUNGHUHN.

FRED. LUD. SPLITGERBERI reliquiae Botanicae Surinamenses.

Hymenocallis (Pancratium) *Borskiana* nobis. Nova Amaryllidearum species.

Nadere inlichtingen omtrent *Zamia muricata Willd.*, naar aanleiding van eene bloeijende plant in de kassen van den Heer A. VAN DER HOOP op Spaarnberg.

Aanteekeningen omtrent eenen bloeijenden *Encephalartos Altensteinii* Eckl., eene bijdrage tot de nadere kennis der Cycadeën.

Goniophlebium Reinwardtii de Vr., *Polypodiacea* nova in horto Lugd. Bat.

Vol. II. (1851).

Analecta Goodenovicarum.

Over eene verhoogde temperatuur, bij de mannelijke bloem von *Cycas circinalis*, waargenomen in 's lands plantentuin te Buitenzorg door J. E. TEYSMANN, medegedeeld door DE VRIESE.

Waarnemingen aangaande den wasdom van den bloemenstengel eener *Agave lurida?* gedaan in 's lands plantentuin te Buitenzorg in 't jaar 1845 door J. E. TEYSMANN, medegedeeld door DE VRIESE.

Epimetrum ad Indicem seminum Hort. Acad. Lugd. Bat. Anni 1849. *Angiopteris Teysmanniana.*

Over eene periodieke verkorting van plantendeelen, benevens uitkomsten van metingen aangaande den wasdom, medegedeeld door DE VRIESE.

Polygonum cuspidatum Sieb. et Zuccharini. Kritiek en antikritiek. Naschrift.

Kritiek en antikritiek. Teregtwijzing van C. L. BLUME's naamsverwarring von *Pinus Merkusii.*

Epimetrum ad indicem seminum cet. 1850.

Kritiek en antikritiek. Een woord over den sambinoer-boom van Sumatra, betrekkelijk deszelfs botanische bepaling volgens C. L. BLUME. (Tweede gedeelte).

Naschrift.

Vol. III. (1854).

Geschiedenis van den Kamferboom op Sumatra, volgens onderzoekingen van Dr. F. JUNGHUHN.

Epimetrum ad Ind. seminum cet. 1851. *Marattiaceae* Ind. Bat. Or.

Chloris medica. Praecipuarum plantarum medicatarum ad naturam facta illustratio et descriptio, fasc. I. (Amst. 1847).

Descriptions et figures de plantes nouvelles et rares du jardin botanique de l'université de Leide et des principaux jardins du royaume des Pays-bas, fasc. 1 et 2. (1847.)

Over eene bloeijende *Agave Americana* in den kruidtuin der Leidsche Hoogeschool, 2 fasc. (L. B. 1847.)

WILLEM SIMON SWART, Levensschets. (Alg. Konst- en Letterbode, 1847 n. 28.)

Recherches sur le développement de la haupe d'une *Agave Americana*, faites au jardin botanique de l'université de Leide en 1847. (In Annales de la société royale d'Agriculture et de Botanique de Gand, 1848.)

Lastraea microchlamys, nova Filicis species Iavanica in horto Acad. L. B. culta (in Tijdschr. voor de Wis- en Natuurk. Wet., uitg. door de 1ste klasse van het Kon. Nederl. Inst. I (1848) p. 155 sqq.)

Over eene bloemontwikkeling aan de uitloopers van *Agave Americana* (ibid. p. 182 sqq.).

De palmen van Suriname, beschouwd in betrekking tot derzelver kruidkundige kenmerken, kultuur enz. (L. B. 1848 in 4°).

Kruidtuinen en herbariën, in betrekking tot onderwijs en wetenschap. Een woord bij de opening van den botanischen cursus aan de Leidsche Hoogeschool in 1849.

Cankriena, nouveau genre de la famille des Primulacées. (In opere c. t. *Jaarboeken van de Koninklijke Ned. Maatschappij van Tuinbouw*, 1856. Eadem disputatio prodiit sermone vernaculo).

Familias nonnullas descripsit in opere: *Plantae Junghuhnianae*, a viris clariss. DE VRIESE, MIQUEL, V. D. BOSCH et aliis confecto. (L. B. inde ab a° 1851.)

De Kamferboom van Sumatra, volgens Dr. JUNGHUHN's waarnemingen (in 4°, L. B. 1851).
Vorläufiger Bericht über eine neue Art von *Rafflesia* etc. (Prodiit in opere periodico c. t. *Flora* a° 1851).
De Medicijn-hof. Beschrijving der voornaamste geneesk. gewassen (L. B. 1852).
Blikken in het plantenleven. (Album der Natuur I, 1852, p. 33—57).
Waterleliën (Lotusplanten). (Ibid. p. 289—319).
Een uitstapje naar de bloemententoonstelling te Gend, Maart 1852 (1852).
DE VRIESE et P. HARTING, *Monographie der Marattiacées* (1853).
De plantengroei der voorwereld (Album der Natuur II, 1853, p. 65—96).
Over papier, inzonderheid over deszelfs plantaardigen oorsprong (ibid. p. 353—374).
Goodenovicae, ad auctoritatem Musei Caesarei Vindobonensis, Parisiensis cet. proposuit G. H. DE VRIESE, figuris illustravit Q. M. R. VERHUELL. (1854).
Illustrations d'Orchidées des Indes Orientales Neerlandaises. (la Haye, 1854.)
Ons streven naar waren roem. Eenige woorden van dankbare herinnering bij het afsterven van den Hoogleeraar C. G. C. REINWARDT. (1854.)
Flore des Jardins des Pays-Bas. (L. B. 1854).
Verslag over de Physiantotypie of zelfafdruk van voorwerpen der natuur (in Verslagen en Mededeelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Afd. Natuurkunde, Tom. II p. 349—355).
Illustrations des *Rafflesia's* ROCHUSSENII et PATMA, d'après les recherches faites aux îles de Java et de Noessa Kambangan par J. E. TEYSMANN et S. BINNENDIJK et au jardin botanique de Leide. (Leide et Dusseldorf, 1854.)
De Kinaboom uit Zuid-Amerika overgebragt naar Java onder de regering van Koning WILLEM III. ('s Hage 1855.)
Tuinbouw-Flora (L. B. 1855). Idem opus a°. 1857 a DE VRIESIO et PH. FR. VON SIEBOLD continuatum est hoc titulo: *Annales d'horticulture* cett., quem librum vide infra suo loco.
Mémoire sur le camphrier de Sumatra et de Bornéo (L. B. 1856).
De Handel in Getah-Pertja, door den oorsprong dezer stof toegelicht (1856).
De Vanielje, een nieuw O. I. voortbrengsel voor den handel (1856).
De ouderdom der boomen (L. B. 1856).
Adnotatio de flore *Dryobalanopsidis camphorae* Colebr. (In Versl. en meded. der K. A. v. Wetenschappen, Afd. Natuurkunde, Tom IV. p. 201).
Eene bijdrage tot de kennis van de structuur der Orchideeën. Over het triandisme in Phajus. (Ibid. p. 95—100).
De uitkomsten der Kina-kultuur in Nederlandsch Indië in 1856 (Ibid. Tom. VI (1857) p. 129—190).
Plantae Indiae Batavae Orientalis, quas in itinere per insulas archipelagi Indici, Javam, Amboinam, Celebem, Ternatam aliasque annis 1815—21 exploravit C. G. C. REINWARDT, fasc. I et II. (1857).
Annales d'horticulture et de botanique ou flore des Jardins du royaume des Pays-Bas, publiés

par la société royale d'horticulture des Pays-Bas sons le patronage de S. M. le Roi GUILLAUME III, rédigés par M.M. TH. F. DE SIEBOLD et W. H. DE VRIESE. Vol. I. (1857).

De invloed der kruidkunde op de belangen van den staat. Toespraak aan de kweekelingen der Leidsche hoogeschool op 29 Sept. 1857.

C. G. C. REINWARDT, reis naar het oostelijk gedeelte van den Indischen Archipel in 1821, met aanteekeningen vermeerderd door W. H. DE VRIESE (1858).

Rapport betrekkelijk de ziekte in het paddie-gewas in Pekalongan. (Batavia, 1859).

Synoecia (ficus) GUILIELMI I, découverte aux îles de Java et de Bornéo. (Leide 1861).

Minjak Tangkawang en andere voortbrengselen van het plantenrijk van Borneo's westerafdeeling enz., naar aanleiding van onderzoekingen tijdens eene zending naar den Nederlandsch Oost-Indischen Archipel, in 1857—1861, op last van Z. M. den Koning (Leiden, 1861).

Wetenschap en beschaving, de grondslagen van welvaart der landen en volken van den Indischen Archipel. Redevoering, uitgesproken 28 Nov. 1861 bij de hervatting der Academische lessen. (L. B. 1861).

Adiicio denique Catalogum praecipuorum librorum, quos edidit Clar. BLUME.

Catalogus van eenige der merkwaardigste zoo in- als uitlandsche gewassen, te vinden in 's lands plantentuin te Buitenzorg, Batavia, 1823 (8°, cum tab.).

Tabellen en platen voor de Javaansche Orchideën, Batavia, 1825 (fol. cum. 15 tabulis).

Bijdragen tot de Flora van Nederlandsch-Indië, Batavia, 1825—26 (8°).

nnumeratio plantarum Iavae et insularum adiacentium minus cognitarum vel novarum, ex herbariis REINWARDTII, KUHLII, HASSELTII et BLUMII. L. B., 1827—28 (2 fasc. in 8°).

Flora Javae necnon insularum adiacentium, Bruxellis, 1828—29; 1849 (42 fasc. in fol.) [opus non absolutum].

Rumphia, sive commentationes botanicae imprimis de plantis Indiae orientalis, tum penitus incognitis, tum quae in libris RHEEDII, RUMPHII, ROXBURGHII, WALLICHII et aliorum recensentur, L. B., 1835—48 (4 tom. in fol. cum tab.).

Museum Botanicum Lugduno-Batavum. L. B. (Tom. I, 1849—51; Tom. II, 16 fasc. 1852—56; in 8° cum tabulis) [opus non absolutum].

Flora Iavae. Nova Series. L. B. (T. I, 12 fasc., 1859, in fol. cum tab.) [opus non absolutum].

Idem liber, paucis et mutatis et adiectis, prodiit etiam hoc titulo:

Collection des Orchidées les plus remarquables de l'Archipel Indien et du Japon, Amsterdam 1858. (Tom. I. in fol. cum tab.).

ACTA ET GESTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

A. 1861.

Die 18 m. Octobris. Senatus luget obitum viri amplissimi L. C. LUZAC (obiit 18 m. Febr. h. a.), Academiae curatoris, et viri clarissimi TH. G. J. IUYNBOLL (obiit 16 m. Sept. h. a.) in Facultate Phil. Theor. et Litt. Hum. Professoris ordinarii.

Die 13 m. Decembris. Recitantur litterae Curatorum, quibus Senatus fit certior, Regi Augustissimo, decreto diei 2 m. Octobris n°. 105, placuisse in collegium Curatorum allegere virum amplissimum E. I. A. comitem à BYLANDT.

Rector Senatum facit certiorem accepisse se litteras a viro nobilissimo I. W. C. VAN ITTERSUM Groningano, quibus Senatui offert depictam imaginem viri cl. ANTONII WALAEI, olim in Academia Lugduno-Batava Theologiae Professoris.

A. 1862.

Die 11 m. Ianuarii. Recitantur litterae viri cl. G. H. DE VRIESE a Senatu petentis, ut in designando novo Rectore Magnifico sui ratio non habeatur, namque se propter officia publica illo munere fungi non posse.

Interea dum Regis assensus exspectatur designantur hi quatuor professores, ex quibus unum Rex Augustissimus in annum sequentem Rectorem Magnificum creet:

P. L. RYKE.
C. G. COBET.
H. I. HALBERTSMA.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.

Candidati, e quibus Actuarius constituatur, designantur viri clarissimi:

I. I. PRINS.
G. H. DE VRIESE.
C. G. COBET.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.

Die 8 m. Februarii. Senatus luget obitum viri clarissimi G. H. DE VRIESE, in Facultate Disc. Math. et Phys. Prof. ord. (obiit 23 Ianuarii), et viri clarissimi C. L. BLUME, titulo Professoris ord. ornati (obiit 3 Februarii).

Recitatur decretum Regium diei 2 m. Februarii n°. 9, quo in annum proximum Rector Magnificus creatur vir clarissimus P. L. RYKE.

Assessores Rectori Magnifico constituuntur viri clarissimi:

I. G. HULLEMAN.
G. C. B. SURINGAR.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
A. KUENEN.

Rector Magnificus cum Senatu communicat, in conventu Rectoris et Assessorum cum Curatoribus habito Actuarium Senatui in annum Academicum proximum creatum esse virum clarissimum I. I. PRINS.

Rector Magnificus cum Senatu caeterisque Professoribus in Auditorium maius descendit et adscensa cathedra orationem habet *de Religione christiana per continuas theologiae commutationes sibi constanti et incolumi*, quo facto Academiae fata commemorat.

Mox solemnibus verbis deposito Magistratu e cathedra descendit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deduxerunt et officiosissime salutarunt.

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI CIOIOCCCLXI.

FACULTAS THEOLOGICA.

A. KUENEN Ethicam Christianam docebit, diebus Mercurii et Veneris, ... hora XI
et die Iovis, ... XII.
Historiam librorum V. T. enarrabit, die Lunae, ... X
et die Mercurii, ... I.
Locos selectos historiae Israëlitarum tractabit, die Veneris, XII.

W. A. VAN HENGEL, provectae aetatis causa rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.

I. H. SCHOLTEN Theologiam biblicam N. T. tradet, die Martis, XI et I,
die Iovis, ... XI
et die Veneris, ... X.
Historiam philosophiae de Deo, imprimis antiquae, critice tractabit, diebus Lunae, Iovis et Veneris, ... I.
Colloquiis de rebus theologicis vacabit die Iovis, ... X.

I. I. PRINS Epistolam ad Hebraeos interpretaturus est, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, ... IX.
Theologiae Practicae partem catecheticam et ecclesiasticam tractabit, diebus Martis et Mercurii, ... X.
Catechesin Palatinam pro concione tractandi rationem docebit hora postea indicanda.

7*

Exercitationes catecheticas et homileticas moderabitur, die Lunae, ... hora XI et II.

L. G. E. RAUWENHOFF, Prof. extraord., Historiam ecclesiae Christianae enarrabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

Encyclopaediam theologiae Christianae tradet diebus Martis et Mercurii, ... II.

Orationibus Sacris praeerunt I. H. SCHOLTEN, A. KUENEN, I. I. PRINS, et L. G. E. RAUWENHOFF, diebus et horis sibi et Candidatis Theologiae commodis; — publice disputandi exercitationibus, die Veneris, ... II.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN Zoologiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XI.

Mineralogiae et Geologiae elementa exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... II.

Aut Anthropologiam gentiumque varietatem nativam, aut Anatomes comparatae selecta capita explicabit, diebus Lunae et Martis, ... I.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.

Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit, iisdem diebus, XI.

Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Iovis, ... XII.

Experimenta instituendi artem docebit et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

Cum Studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris, hora vespertina, ... V—VIII.

G. I. VERDAM Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Iovis et Saturni, ... X

et die Veneris, ... IX et X.

Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Martis et Iovis, ... hora VIII.

Arithmeticam universalem, sive Algebram, tradet diebus Mercurii et Veneris, ... VIII
et die Iovis, ... IX.

Quantum tempus sinet, adiuvare paratus erit eos, qui in disciplinarum mathematicarum studia incumbunt.

Scholas paedagogicas habebit, die Lunae, hora commoda.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.

Astronomiam practicam, iisdem diebus, ... X.

Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus Lunae et Iovis, hora vespertina, ... V.

Artis observandi exercitiis quotidie praeerit.

G. H. DE VRIESE horis commodis exponet historiam stirpium Indicarum et corporum mercaturae utilium, quae iisdem producuntur.

Familiarum selectarum regni vegetabilis, maxime Indiae orientalis, historiam illustrabit, horis commodis.

Pharmacognosin regni vegetabilis exponet futuris pharmaceutis, die Veneris, ... III.

P. L. RIJKE Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XII.

De physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Mercurii. . . . . X.

Physicam mathematicam tradet, diebus Martis et Iovis, . . . III.

Meteorologiam exponet die Iovis, ... X.

Exercitiis physicis practicis praeerit quotidie.

W. F. R. SURINGAR, Prof. extraord., morphologiam, anatomiam et physiologiam plantarum exponet diebus Mercurii, Iovis et Veneris, ... I.

Phytographiam et taxonomiam plantarum docebit, diebus Lunae et Martis, ... I et II.
(tempore tamen hiberno sola hora I).

Exercitiis practicis in structura plantarum ope microscopii exploranda praeerit tempore hiberno, diebus Lunae et Martis, ... hora II-IV.
Excursionibus botanicis praeerit tempore aestivo, die Saturni.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BAKE, quantum poterit et licebit, auctoritate et consilio adiuvare conabitur eos, qui in Literarum Humaniorum studiis versantur.

A. RUTGERS IESAIAE et ZACHARIAE *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ... IX
et die Mercurii, ... VIII.
Librum Iudicum cursoria lectione tractabit, die Lunae, . . . I
et die Iovis, ... XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Grammaticam Sanscritam docebit, die et horis Auditoribus commodis.

T. G. I. IUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, cum Grammatica explicanda, tum analyticis Exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis. . . . . VIII.
Literarum Arabicarum, Chaldaïcarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), die Iovis, I
et diebus Veneris et Saturni. . . . . VIII.
Cum provectioribus Discipulis *Chrestomathiam Arabicam*, quam Doct. FR. A. ARNOLD, et *Chrestomathiam Syriacam*, quam BERNSTEIN edidit, leget, die Lunae et Martis, ... II.
Koranum et *Zamakhschari Commentarium*, die Mercurii, . . II.
In *Codd. MSS. Arab.* legendis et interpretandis cum iisdem operam ponet, die Veneris et Saturni, ... II.

I. H. STUFFKEN Logicam tradet, die Martis, ... I,
diebus Iovis et Veneris . . . . XI.
Metaphysicam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... X.

Historiam Philosophiae explicabit diebus Lunae et Iovis, . . hora XII.
Paedagogicam exponet, diebus et horis Auditoribus commodis.

C. G. COBET interpretabitur HOMERUM, HERODOTUM et SOPHOCLEM, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... XII.
Historiam veterem provectiores docebit, diebus Iovis et Veneris, ... I.
Artem metricam docebit, diebus Veneris et Saturni, ... XII.
Scholas paedagogicas habebit, diebus Martis et Iovis, ... II.
Initia Palaeographiae Graecae Candidatis Literarum explicabit, diebus Veneris et Saturni, ... IX-XI.

R. P. A. DOZY Historiam universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Varios locos historiae aevi medii et historiae recentioris exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... III.
Exponet de literis Europae meridionalis, diebus et horis deinde constituendis.

M. DE VRIES Linguam Literasque patrias explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... II.
Linguam Literasque patrias medii aevi explicabit, diebus Martis et Iovis, ... III.
Linguam Literasque patrias saeculi XVII explicabit, die Martis, ... I.
De lingua patria pure et eleganter scribenda aget, additis exercitiis practicis, diebus Iovis et Veneris, ... II.
Carminum medii aevi interpretationem criticam provectiores docebit, die Martis, ... VIII-X.
Linguam Gothicam tradet, die Iovis, ... I
et Veneris, ... III.
Linguam Anglo-Saxonicam tradet, diebus et horis Auditoribus commodis.
Carmen Epicum *Beowulf* interpretari perget, die Martis, . . VI-VIII.

I. G. HULLEMAN selectas HORATII *Satiras* et CICERONIS *Sestianam* interpretabitur, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora IX.

Provectioribus discipulis explicabit TACITI *Historias*, die Mercurii, ... XI-I.

Cum Literarum Candidatis *Satiras* PERSII leget, die Saturni, I-III.

Antiquitates Atticas docebit, die Lunae, ... II

et die Iovis, ... IX.

R. FRUIN Historiam Patriae tradet, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, ... I.

Historiam motuum in Republica Batava sub finem saeculi XVIII factorum exponere perget, diebus Lunae et Martis, I.

Disputandi exercitia publica moderabuntur C. G. COBET et I. G. HULLEMAN, die Iovis, ... XI.

FACULTAS MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, ... I.

Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio academico, quotidie, ... XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Lunae et Martis, ... I.

G. C. B. SURINGAR Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Iovis, ... XII.

Pharmacognosin et naturalem remediorum historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XII.

Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris, ... IX.

Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Iovis, ... IX.

Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis, ... X.

F. W. KRIEGER Theoriam Disciplinae chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... VIII.

Exercitationibus clinicis in Nosocomio academico habendis vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ... XII.

Collegio casuali, diebus Martis et Veneris, ... hora XII-II.
Operationes chirurgicas demonstrabit, horis deinde indicandis.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, diebus Martis et Veneris, ... I.
Medicinam forensem, diebus Lunae et Iovis, ... I.

A. E. SIMON THOMAS Theoriam artis obstetriciae exponet, diebus Martis, Iovis et Saturni, ... VIII.
Exercitationibus clinicis in Nosocomio academico habendis, vacabit quotidie, ... IX.
Doctrinam Operationum tradet, et Operationibus obstetriciis, tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeerit, die Mercurii, ... I.
Gynaecologiae et Gynaecopathologiae capita selecta tradet, die Lunae, ... II.
Praxin obstetriciam, tum in Nosocomio academico, tum in Policlinico obstetricio, quoties necesse erit, moderabitur.

H. HALBERTSMA, IUST. Fil. Anatomiam specialem et practicam docebit, diebus Martis et Iovis, ... IX et X.
Physiologiam, experimentis et observationibus microscopicis illustratam, diebus Lunae et Mercurii, ... IX et X.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore, . . I-IV.
Cum discipulis de Anatomia et Physiologia colloquetur, die Veneris, ... IX et X.

FACULTAS IURIDICA.

H. G. TYDEMAN, Emeritatum nactus et cessans a Praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.

H. COCK tradet Ius gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, IX.
Ius criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
Ius naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Ordinem Iudiciorum criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Ius publicum, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.

I. DE WAL Historiam Iuris Romani, duce RUDORFFIO, enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora IX.
Encyclopaediam et Methodologiam Iuris explicabit, iisdem diebus, ... X.
Ius mercatorium exponet, diebus Iovis, Veneris et Saturni, X.
Ius Neerlandicum Antiquum interpretabitur, secundum Theses Selectas viri Cl. VAN DER KEESSEL, die Iovis, ... VI-VIII.

S. VISSERING Statisticam Patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... I.
Oeconomiam politicam, die Iovis, ... XI et I
et die Veneris, ... XI.
Disputandi exercitia moderabitur, diebus et horis auditoribus commodis.

R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE Ius civile hodiernum interpretabitur die Iovis, ... XII,
die Veneris, ... XII et I
et die Saturni, ... XI.
Legem Iudiciorum privatorum, additis exercitationibus forensibus, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.

I. E. GOUDSMIT interpretabitur *Institutiones*, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XII,
die Saturni, ... IX.
Digesta, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, IX.
Disputandi exercitiis de Iure Romano praeërunt I. DE WAL et I. E. GOUDSMIT, die Veneris, ... II.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Professoris Extraordinarii ornatus, Numismaticam universalem docebit, diebus et horis, qui Auditoribus convenient.

I. A. BOOGAARD, Med. Doct., Prosector primus, Anatomiam pathologicam docebit, die Iovis, ... II—IV.

Anatomiam generalem, demonstrationibus microscopicis illustratam, exponet, die Veneris, ... hora II-IV.
Exercitiis practicis in microscopii usu praeerit horis Auditoribus commodis.

C. A. X. G. F. SICHERER, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum Poëtarum Germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia Poëseos genera explicet Auditoribus.

P. DE JONG, Literarum Persicarum et Turcicarum Lector, linguam Persicam et Turcicam docebit eos, qui iis operam navare velint.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE XXXI M. DECEMBRIS CIƆIƆCCCLXI.

In	Facultate	Theologica	130.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	18.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	22.
〃	〃	Medica	100.
〃	〃	Iuridica	261.
			531.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo consilio, ut hic examinentur et Doctores creentur, quorum:

In	Facultate	Theologica	4.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	—
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	1.
〃	〃	Medica	13.
〃	〃	Iuridica	8.
			26.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE IX FEBRUARII CIↃIↃCCCLXI AD DIEM VIII FEBRUARII CIↃIↃCCCLXII.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 24 Aprilis. GUILIELMUS IANUS SNOECK, e pago Cuyk, defenso specimine theologico exhibente: *introductionem in Epist. ad Diognetum*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

D. 21 Iunii. ARNOLDUS CORNELIUS DUKER, Enchusanus, defenso specimine historico-theologico: *de pugna Voetium inter et Cartesium*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

D. 26 Iunii. NICOLAUS IOHANNES HOORWEG, e pago Krimpen aan de Lek, publice defenso specimine: *over de donkere sterren*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

D. 11 Aprilis. LEONARDUS ROBBE, e pago Leyderdorp Hollandus, defenso specimine exhibente: *vitam Aristotelis graece nunc primum editam*, Phil. Theor. Mag. et Litt. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Iunii. GUILIELMUS STORTENBEKER IUNIOR, Haganus, publice defensa disputatione historico-antiquaria: *de conditione Siciliae, provinciae Romanae, Caio Verre praetore*, Phil. Theor. Mag. et Litt. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

D. 29 Iunii. IACOBUS LAURENTIUS SIRKS, Roterodamensis, defenso specimine exhibente: *Heronis Mathematici Alexandrini metrica nunc primum edita*, Phil. Theor. Mag. et Litt. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

D. 20 Ianuarii. IOHANNES RUTGERS, ex pago Breede Groninganus, publice defenso specimine exhibente: *Olympionicarum Fastos*, Phil. Theor. Mag. et Litt. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

D. 13 Februarii. PETRUS IANUS VAN DER GRIJP, Zierikzea-Zelandus, publice defenso specimine: *een geval van Elephantiasis*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 16 Martii. PETRUS FRANCISCUS IOHANNES TER MATEN, e pago Pynacker Hollandus, publice defenso specimine: *het Mechanisme van het Strottenhoofd*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 22 Martii. HENRICUS GERARDUS CHRISTOPHILUS VAN BAERLE, Haganus, defenso specimine: *behelzende twee door den Schrijver waargenomen ziektegevallen*, Med. Doctor.

D. 15 Aprilis. ANTONIUS GERARDUS LEVINUS VAN DISHOECK, Lugduno-Batavus, Med. Doctor, defensis thesibus, Art Obst. Doctor.

D. 26 Aprilis. HENRICUS ALBERTUS KOOYKER, Amstelodamensis, publice defenso specimine: *Beschrijving van Gierstuitslagkoorts in het algemeen en mededeeling van eene ziektegeschiedenis van eenen lijder aan Gierstuitslagkoorts door den Schrijver behandeld*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 15 Maii. DOEKE HELLEMA H. FIL., ex pago Achlum, Med. et Chir. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 5 Iunii. THEODORUS ANTONIUS SCHAEPMAN, Zwollanus, Med. et Art. Obst. Doct., defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 12 Iunii. IANUS HENRICUS ZILVER RUPE, Amstelodamensis, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 12 Iunii. IANUS HENRICUS ZILVER RUPE, Amstelodamensis, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 17 Iunii. IACOBUS SLUYTERMAN VAN LOO, ex pago Schagen, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. BASTIANUS KNAPPERT, Schiedamensis, publice defenso specimine: *over aangeboren hartgebreken*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 19 Iunii. ADRIANUS GUILIELMUS MOELAART, Roterodamensis, defenso specimine: *Tweetal ziektegevallen waargenomen door den S.*, Med. Doctor.

Eodem die. GUILIELMUS EVERARDUS HENRICUS VAN DER HORN VAN DEN BOS, Lugduno-Batavus, defenso specimine: *behelzende verslag omtrent de vrouwenkliniek gedurende den Academischen cursus* 1860—61, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 22 Iunii. IANUS VERSTEEG, Med. Doct., ex pago Wassenaar, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. ABRAHAMUS CORNELIUS HARTEVELT, Haganus, publice defenso specimine: *Over de operatie der fistula vesico-vaginalis*, Med. Doctor, *magna cum lauda*.

D. 24 Iunii. IANUS CORNELIUS BURKENS, e pago Maasland, defenso specimine c. t.: *Een drietal heelkundige ziektegevallen door den Schrijver waargenomen*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 25 Iunii. HUBERTUS PAULUS KAPTEYN, e pago Voorschoten Hollandus, publice defenso specimine: *zes ziektegevallen waargenomen in het Binnen-Gasthuis te Amsterdam*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 27 Iunii. IANUS CAROLUS PHILIPPUS REFTINCK SCHATTENKERK, e pago Alphen a/d Rijn, defenso specimine: *Beschouwingen over eenige coïncidentien van den acuten gewrichtsrheumatismus*, Med. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. LEENDERT FANGMAN, Med. Doct., Lugduno-Batavus, defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 5 Sept. HUBERTUS KIEVIT, ex oppido Goedereede, defenso specimine c. t.: *de Bronchophonie*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 16 Sept. GOSSELIUS HARMANUS DE FEYFER, Hornanus, defenso specimine: *over een geruisch waarneembaar aan den kinderschedel*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 13 Septembris. HENRICUS ADRIANUS MARIUS VAN WALCHREN, Roterodamensis, defenso specimine: *twee waarnemingen van stuipen na de baring*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 21 Septembris. EMILIUS IOHANNES ALETUS KAISER, Lugduno-Batavus, defenso specimine: *over den aard en de behandeling van placenta praevia, met enkele daaraan toegevoegde waarnemingen*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 30 Septembris. GUILIELMUS EVERHARDUS HENRICUS V. D. HORN V. D. BOS, Lugduno-Batavus, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 4 Octobris. IANUS HEUKELMAN, ex oppido Borculo, Med. Doct,, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. IANUS HEUKELMAN, ex oppido Borculo, Med. et Art. Obst. Doct., defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 9 Octobris. IOHANNES HENRICUS VAN DEN ACKER, Eindhoviensis, Med. et Art. Obst. Doct., defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 22 Octobris. IACOBUS SLUYTERMAN VAN LOO, ex pago Schagen, Med. et Art. Obst. Doct., defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 23 Novembris. IANUS PETRUS DOZY, Lugduno-Batavus, publice defenso specimine: *waarneming eener strictura urethrae met fistula vesico-intestinalis*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 30 Novembris. GOSSELIUS HARMANUS DE FEYFER, Hornanus, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 5 Decembris. FREDERICUS GUILIELMUS LUDOVICUS TYDEMAN, Lugduno-Batavus, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 7 Decembris. EMILIUS IOHANNES ALETUS KAISER, Lugduno-Batavus, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. ARNOLDUS HUGO VAN ANDEL, Briellanus, defenso specimine: *Bijdrage tot de kennis van den morbus Addisonii*, Med. Doctor, *magna cum lauda*.

Eodem die. ANTONIUS HELLER, ex pago Klundert, defenso specimine: *over aangeboren gespleten verhemelte, pathologisch-anatomisch beschouwd*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 14 Decembris. SAMUEL DE RANITZ, Groninganus, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 14 Decembris. BASTIANUS KNAPPERT, Schiedamensis, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. BASTIANUS KNAPPERT, Schiedamensis, Med. et Art. Obst. Doct., defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 20 Decembris. SIMON ADRIANUS VAN DER CHYS, Lugduno-Batavus, defenso specimine: *verslag der verloskundige Kliniek en Polikliniek aan de Leidsche Hoogeschool, gedurende den Akademischen cursus* 1860—61, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Ianuarii. IANUS PETRUS DOZY, Lugduno-Batavus, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. IANUS PETRUS DOZY, Lugduno-Batavus, Med. et Art. Obst. Doct., defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 18 Ianuarii. CHRISTIANUS IACOBUS IOHANNES HIRSCHIG, Alcmariensis, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. HUBERTUS PAULUS KAPTEYN, e pago Voorschoten Hollandus, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 23 Ianuarii. LEONARDUS FANGMAN, Lugduno-Batavus, Med. et Chir. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 30 Ianuarii. EMILIUS IOHANNES ALETUS KAISER, Lugduno-Batavus, Med. et Art. Obst. Doct., defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 3 Februarii. AXELUS ALBERTUS LAND, Leovardiensis, Med. Doct., defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 27 Februarii. DIDERICUS DE RUITER ZYLKER, e pago Nieuw-Beerta Groninganus, publice defenso specimine: *over het regt van beklemming uit een staathuishoudkundig oogpunt beschouwd*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 2 Martii. HENRICUS MARTINUS VAN DIGGELEN, Medioburgensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. CAROLUS ANTONIUS GRANPRÉ MOLIÈRE, Soerabajensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 4 Martii. CAROLUS MARIA BLANKENHEYM, Roterodamensis, defenso specimine: *geschiedenis van de compagnie van Ostende*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 28 Martii. MATTHEUS ABRAHAMUS HENRICUS ONDERWATER, Dordracenus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 11 Maii. HENRICUS ADOLPHUS STEENGRACHT, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 25 Maii. TIETE VAN HETTINGA TROMP, Leovardiensis, defenso specimine: *over de verwerping eener erfenis ten nadeele der schuldeischers*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 31 Maii. DONALDUS IACOBUS MACKAY, Haganus, defenso specimine: *De handhaving van het Europeesch gezag en de hervorming van het regtswezen onder het bestuur van den Gouverneur-Generaal* Mr. H. W. DAENDELS, *over Java en onderhoorigheden* (1808—1811), Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 4 Iunii. ALEXANDER RIJK PETRUS VAN KINSCHOT, Gorinchemensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. AUKE BLOEMBERGEN, Leovardiensis, publice defenso specimine: *over papier aan toonder*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 13 Iunii. IANUS HENRICUS FRANCISCUS CAROLUS VAN SWINDEREN, e pago Gaasterland Frisius, publice defenso specimine: *over den oorsprong en de geschiedenis van de Belasting op de Floreenen in Friesland*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 15 Iunii. BENIAMINUS MARIUS VLIELANDER HEIN, Briellanus, publice defenso specimine: *over de voorregten gevestigd op zekere bepaalde goederen van den schuldenaar*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 22 Iunii. IANUS SPEKHAM DUYVIS, I. fil., e pago Koog aan de Zaan, publice defenso specimine: *over den invloed van de verandering van de waarde van het geld op geldschulden*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 24 Iunii. IOHANNES GERDES OOSTERBEEK, Suawoude-Frisius, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 27 Iunii. GUILIELMUS STORTENBEKER IUNIOR, Haganus, defensis thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Iunii. GUILIELMUS CONSTANTINUS VAN PALLANDT, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. GUILIELMUS CAROLUS IACOBUS VAN DER MOORE, e Provincia Preangensi Indo-Batavus, publice defenso specimine: *Historisch overzigt der wetgeving op de Mijnen in de verschillende staten van Europa*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IOANNES GUILIELMUS DE BLOCQ VAN SCHELTINGA, e pago Oudeschoot, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 29 Iunii. HENRICUS GUILIELMUS STUFFKEN, e pago Haeften, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 3 Septembris. RENATUS FREDERICUS WILHELMUS SLOET, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 9 Octobris. NICOLAUS CAROLUS FREDERICUS LAND, Leovardiensis, publice defenso specimine: *over het pandregt op inschulden*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 23 Octobris. IOHANNES MARINUS VAN BENTHEM VAN DEN BERGH, ex oppido Zalt-Bommel Gelrus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 2 Novembris. IELLE ZYLSTRA, Harlingensis, publice defenso specimine: *Bijdrage tot de leer van den commissiehandel*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IOANNES PETRUS BOOTS, ex pago Amby Limburgensis, defenso specimine: *Bijdrage ter verklaring van Art.* 134 *Wetb. v. Burg. regtsv.*, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 27 Novembris. HENRICUS GUILIELMUS DE BAS, Haganus, defenso specimine: *de Boedelverdeeling voor de bloedverwanten in de opgaande linie* (*Art.* 1167—1171 *B. W.*), Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 12 Decembris. WOLTERUS ALBERTUS VAN VERSCHUER, Haganus, publice defenso specimine: *Het staatkundig bedrijf van* IOAN WILLEM VAN RIPPERDA, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 17 Decembris. HENRICUS GEORGIUS PETRUS KOLFSCHOTEN, Arnhemiensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 18 Decembris. GUILIELMUS DIDERICUS BOSCH, H. fil., Sylvaducensis, publice defenso specimine: *Over de bevoorregte schulden, welke volgens art. 730 W. v. K. op de aldaar bedoelde schepen en vaartuigen rusten*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 20 Decembris. GUILIELMUS REGNERUS OP TEN NOORT, Zutphaniensis, defenso specimine: *de Burgerlijke vordering tot vergoeding van schade, door misdrijf veroorzaakt, en hare beregting volgens de Nederlandsche Wetgeving*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 14 Ianuarii. GUILIELMUS ANTONIUS ENGELBRECHT, Indo-Batavus, defenso specimine: *Artikel 2 Reglement op het beleid der regering van Nederlandsch Indie, in verband met Art.* 107 *Reg. Reglement van N. I. en de Nederlandsche Wetgeving op het Nederlanderschap*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 25 Ianuarii. ADOLPHUS MARIA DE COCK, Roterodamensis, defenso specimine: *Bijdrage tot de kennis van den Expeditiehandel*, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. LEONARDUS PETRUS GIPS, Schiedamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 6 Februarii. MATTHEUS PETRUS MEELBOOM, Harlemensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XXII M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXI AD D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXII

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS,

SENATUS ACADEMICI GRAPHIARIUS

IACOBUS ANTONIUS FRUIN.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER.
I. A. C. ROVERS.
H. C. MILLIES.
G. G. BRILL.

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN (Emeritus, obiit die 11 m. Februarii 1862).
I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. I. LONCQ, Corn. Ian. Fil.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE (Emeritus).
R. VAN REES.
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT.
M. HOEK.
F. A. G. MIQUEL.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN (Emeritus).
H. E. VINKE.
B. TER HAAR.
I. I. DOEDES.

IN FACULTATE IURIDICA.

A. C. HOLTIUS (Emeritus, obiit die 29 m. Martii 1861).
I. ACKERSDYCK (Emeritus, obiit die 13 m. Iulii 1861).
G. G. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER.
I. A. FRUIN.
O. VAN REES.

LECTORES.

I. H. HISGEN, Lit. Germanicarum.
I. VENNING, Lit. Anglicarum.
M. A. E. ROBERTI, Lit. Francicarum (ex decreto Curatorum Academiae d. XV m. Iunii 1861).
I. W. GUNNING, Chemiae.

DOCTOR ACADEMICUS.

A. C. OUDEMANS.

IACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS,

ORATIO

DE

AETATE NOSTRA OPTIMATIBUS PRAECIPUE ET CIVITATUM RECTORIBUS SAPIENTIAE MAGISTRA:

PRONUNCIATA TRAIECTI AD RHENUM

A. D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACCEDIT RERUM ACADEMICARUM ENARRATIO.

10

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, PROFESSORES, LECTORES, CIVES,

CUIUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES HUMANISSIMI.

Ultimum hodie ex hoc suggestu Orationem pronunciabo; cuius quidem ne vobis invisa sit memoria, cavere conabor brevitate. Hac enim virtute aequa vel optatior est vel laudabilior in eo praesertim Auditorio, cuius vernam auram non modo exteri nulli, sed ne Groningani quidem nobis invideant? Vos autem eo confidentius bono animo esse iubeo, quoniam eiusmodi, de quo verba facerem, elegi argumentum, cui quamquam gravi minime tamen obesset disputationis brevitas. Non enim promptum illud est ex interioribus doctrinae recessibus, unde quae petuntur, subtilem plerumque et enucleatam et caute progredientem disputationem postulant, sed ductum ex iis, quae in multorum ore sunt strictimque exposita ab omnibus intelliguntur. Nam cohaeret illud cum voce, quam haec ipsa tempora mittunt, adeo perspicua, ut paene surdus esse videatur rerumve gravissimarum negligens, ipsam qui non audiat nihilve eius auctoritate moveatur. Quod autem monet illa vox, hoc est: "dediscite tandem hominem diiudicare ex iis, quae non sua ipsius sunt; abiici hanc normam oportet, omnium vero minime ad eam exigere licet superiorum ordinum cives et rerum publicarum gubernatores." Aut fallor, aut hinc illud sequitur, de quo paucis agere constitui: *aetatem nostram Optimatibus praecipue et civitatum Rectoribus esse sapientiae magistram.* Gravissima profecto sententia omnique ex parte digna, quae coram viris proferatur cultissimis eaque prudentia conspicuis, ut sententiae auctoritatem haud confundant cum illius interprete, nec, si orator causa ceciderit, continuo ipsam causam debilem esse pronuncient.

Nemo facile in tempora nostra paullo accuratius inquirit, quin crebra eorum, quae exeunte superiore seculo in Francia acciderunt, ipsum subeat cogitatio. Est enim arcta inter praesentem et praeteritam illam aetatem necessitudo, et causae rerum, quae iam fiunt, etsi magna ex parte antiquiores, tunc ita coierunt eamque vim nactae sunt, ut impediri earum effectus nullo modo posset. Veluti, quod huc maxime pertinet, tertii, quem vocant, Ordinis momentum non ante hos demum LXXIII annos apparuit [1]), verum iamdudum illud tum Anglia norat tum ipsae ostenderant in antiquioribus Franciae municipiis et in aliarum regionum civitatibus turbae et conversiones. Sed populi vires diutissime non eum in modum creverant, ut acerrimo cum potentioribus adversariis certamini pares essent. Contra his adversariis, Ecclesiae auctoritate, splendore natalium, militum praesidio et imperii maiestate septis, victoria obtigit minime dubia. Hac ipsa seculo septimo decimo omnium maxime usus vel potius abusus est LUDOVICUS XIV, strenuus ille sententiae suae vindex *se civitatem esse*, et princeps oculos fulgore regiae maiestatis praestringendi gnarus, ignarus autem artis politicae, quae provida futuri, ne gravissimae tempestates cooriantur, opportune cavet. Hinc magno, quem dicunt, regi non multum debuerunt ipsius successores, quibus in exhausta patria, corruentibus dominationis adminiculis, dimicandum fuit adversus vires populi e languore excitatas. Scilicet rerum publicarum apud Anglos commutatio in Francia multis paullatim profuerat ad mentem erigendam; quique hîc adorti sunt primum Ecclesiam deinde civitatem, scriptores acutissimi, pluribus deinceps popularibus viam straverant, qua suorum sibi quisque iurum conscius fieret. Mox secuta sunt studia disciplinarum physicarum, quae in ingeniorum ad mundum ὁρατόν inclinatione tanto ardore et acumine tantaque constantia et severitate coli coeptae sunt, ut egregii fierent in variis earum partibus progressus. Ad horum autem progressuum fructus cognoscendos excellentissimi viri non frustra aequales suos invitarunt. Iis enim de Chemia, de Geologia, de Astronomia aliave doctrinae suae parte

[1]) AUG. THIERRYI scripta, in primis eius *Essai sur l'histoire de la formation et des progrès du Tiers-État.*

publice disserentibus, tantus confluebat auditorum numerus, quantum porticus et amphitheatra Parisina capere vix poterant. Viri et feminae, nobiles et ignobiles, omnes omnino, quibus aut discendi amor erat aut nova accipiendi cupido, pendebant ex ore eorum, qui naturae phaenomena perspicue interpretabantur. Iam in his consessibus, qui coniungebant homines antea seiunctos atque inter se ignotos, id multorum animos subiit, esse maius aliquod inter homines discrimen eo, cui adhuc plurimum tribuerant, positum illud in ingeniorum cultu et in scientiae modo, quem sibi quisque comparaverit; hoc autem discrimen ita se habere, ut nulli civium ordini via sit praeclusa ad illud aut minuendum aut plane tollendum. Quemadmodum autem hîc leni illa et efficaci resistebatur ratione, quae sanae mentis iudicio plurimum confidit, ita alibi aures personabant vocibus eorum, qui in ipsam civitatis condicionem vehementissime invehebantur. *Ἑταιρείας* volo, a rituum et caerimoniarum amore in Optimatium animis debilitando exorsas, progressas vero, brevi ante rerum publicarum conversionem, ad iura hominis libertatisque commoda celebranda et ad perstringendam diversorum Ordinum inaequalitatem. Gratissima sane argumenta, mox ubique sermonibus frequentata, eoque ad commovendos animos efficaciora, quo disertius commendabantur rebus in America Septemtrionali felicissime gestis. Quod huius regionis cives a. CIↃIↃCCLXXVI publice statuerant, summum civitatis consilium positum esse in tuendis populi iuribus, ex populi voluntate manare eorum, qui civitati praesint, potestatem populoque ius esse regiminis formam, consilio illi non convenientem, ad eam flectendi rationem, a qua certiora exspectet suae securitati et felicitati praesidia [1]): — hoc igitur Francos in admirationem rapuerat, hoc FRANKLINO, Lutetiam delato, summam omnium benevolentiam conciliaverat, hoc plurimos, relicta patria, in castra coëgerat Americana. Hi autem milites et centuriones quid ibi didicissent probarunt, post stabilitam colonorum rempublicam, in Franciam reversi. Nam dictis factorum pondus addentes, maturarunt ea, quorum cupido dudum invaluerat [2]).

---

[1]) BANCROFT, *History of the United States*, ed. Lond. VII, 300.

[2]) Attigi, quae ex plurimis illius temporis scriptis hausta diligenter exposuit BUCKLE, *History of civilization in England*, I, Ch. XIV.

Iam haec singula postquam paullatim in unum coaluerunt, vis populi coerceri nullis frenis potuit. Tum vehementissima illa erupit civitatis conversio, quae legum vincula dissolvit et summa imis miscuit et Franciae fines egressa plurimas quassavit Europae regiones. Horrendis licet inquinata flagitiis, bona tamen continuit malis mixta. Nam non modo interitum attulit opinionibus, institutis atque consuetudinibus sola vetustate sancitis, verum etiam semina fovit melioris rerum condicionis, ad quam deinde progressae sunt gentes. Hoc perspici non potuisse saevientibus in civium vitam et opes furibundis *demagogis*, et NAPOLEONTICAE dominationis tempore mentes hominum in aliis defixas fuisse cogitationibus, quis est qui miretur? Quid, quod ne prostrato quidem tyranno de conversionis Francicae pondere viris politicis et civitatum gubernatoribus constitit? Exacta aetas censebatur tamquam e vita abiisse in historiam. Aetas habebatur confusionis. Interruptum aliquantisper esse perhibebant pristinum rerum ordinem, quem igitur locum suum recuperare oporteret. Quam vehementer isti errarunt temporis praeteriti iudices! Nihilne igitur eos admonuit flagrans libertatis amor, quo Europae populi surrexerant in NAPOLEONTEM? Adeone leve visum est, hos speratis contentionum fructibus in perpetuum privare? Suspicamini, A. A., quid responsi a STEINIO, a NIEBUHRIO, a G. HUMBOLDTIO tulissemus. Sed alii, ab ipsis toto coelo distantes et partim fide quam ingenio meliores, partim ambitiosi et vafri, manus operi admoverunt. In quibus METTERNICHIUS fuit et aliarum malarum artium patronus et anno CIƆIƆCCCXIX auctor clandestini ad Thermas Carolinas conventus, quo vincula parata sunt, mox Francofurti cum bonorum omnium indignatione Germaniae libertati iniecta [1]). Huic viro eiusque consiliorum sociis nihil intentatum relinquere visum est, ut in Italia et in Hispania et ubicumque libertatis semina pullulaverant, haec quan-

---

[1]) *Aus dem Jahr* 1819, *Beitrag zur Deutschen Geschichte* von L. K. AEGIDI, 1861. „In einem berühmten Badeort sollten verabredeter Massen die Minister einer intimen Minderzahl deutscher Staaten sich zufällig treffen und diese Gelegenheit natürlich nicht unbenutzt vorübergehen lassen. Welche Ironie der Vorsehung! Schwerkranke, die sich für gesund halten, stellen sich krank und improvisiren eine Badekur. Leider gereicht dieselbe nicht ihnen zur Heilung, sondern dem gesunden Volk zum Unheil." p. 8. — GERVINUS, *Geschichte des neunzehnten Jahrhunderts*, II, 638 sqq.

tum fieri posset exstirparentur. Neque ab hac sententia multum discedebat infelix familia Borbonensis, quae non invito TALLEYRANDIO in regnum restituta [1]), parum addidicerat, dedidicerat nihil. Nam ut veterum Franciae municipiorum libertatem a regia munificentia repetebat, ita regem adhuc perennem fontem praedicabat iurum, quorum participes cives fierent [2]), tum vero in aulae caerimoniis, in veteris prosapiae ac multarum imaginum veneratione, in sacris atque profanis omninoque in seriis et ludicris reditum parabat ad tempora anno superioris seculi octogesimo nono antiquiora. Irriti conatus. Non vehementius tempestas improvidum percellit gubernatorem carinasque quassat imperiosum aequor, quam annus CIƆIƆCCCXXX hos turbavit rerum publicarum moderatores eorumque consilia disiecit. Tum multi circumspicientes, quid et ubi essent agnoverunt. Neque tamen omnium e naufragio superstitum ea felicitas fuit. Nondum revocandi ad seculum exactum adiumenta plane deesse videbantur. Haud latebat enim, ab aliquot inde annis admodum crevisse veterum Ecclesiae dogmatum amorem, et quaestionem, num quis ex animo Christi sacris devinctus piusque esset, arctissime connexam censeri cum ipsius de horum dogmatum auctoritate sententia. Iam haec cogitandi ratio, plurimis et honestissimis etiam variarum regionum civibus probata, inservire posse videbatur illi, quod significavimus, consilio assequendo. Hinc, teste BRETSCHNEIDERO, in Germania certe fuerunt viri politici et optimates, quos non puderet Euangelii Interpretes et muneris Ecclesiastici Candidatos lucri et honorum spe allicere ad orthodoxiae causam strenue tuendam, alienos vero a turpi fraude et simulatione insectari et arcere. Sic enim, ut ille ait, statuebant isti: „quum inde a rerum in Francia conversione cuncta eo spectassent, ut Nobilium et Clericorum iura ac potestas in omnes cives transferrentur, vindicari patrum hereditatem oportere: id autem sibi cessurum esse utentibus in populum sacrorum auctoritate, qua si fortiter rebus novis in ipsa Ecclesia obviam iretur, easdem, consopitis quippe ingeniis, sponte repressum iri in civitate. Hoc consilio se ubique Monarchiae

---

1) GERVINUS, l. l. I, 9 sqq.

2) *Charte constitutionnelle de* 1814, in *Collection complète des Lois* etc. par DUVERGIER, XIX, 58 sqq.

nulla lege circumscriptae fautores perhibebant et muneri sacro tam apud Catholicos quam apud Protestantes maiorem dignitatem et existimationem conciliare conabantur" [1]. Verum et hi et alii collapsi aedificii suo quisque modo instauratores moverunt multum, promoverunt parum. Quod tamen iis omnibus persuasisse annum CIƆIƆCCCXLVIII vix crediderim. Hunc enim nonnulli appellarunt *annum furiosum* [2], nondum, puto, perspicientes, causam eorum, quae merito reprehendas, positam in primis esse in rebus ex temporum contemtu imprudentissime gestis. Hac veteris aedificii ruina parum abfuit quin opprimeretur METTERNICHIUS senex. Quid ille deinde in patriam redux de Sisyphiis iudicavit successorum laboribus? Nihil affirmo. Novi autem, quo animo Europa, aliquot annis post, eius obitum acceperit. Decessit virorum politicorum Nestor eo die, qui dies pugnam excepit Magentinam et brevi praecessit Solferinensem [3]: nulla usquam fuit aut laetitiae aut moeroris significatio [4].

Duos memoravi annos, huius seculi tricesimum et quadragesimum octavum, assiduorum laborum eversores et vero testes temporis. Hinc enim utriusque vim necopinatam et paene incredibilem repetendam esse arbitror. Iudicatote ipsi. Prima illa regni Francici conversio, multorum institutorum strage edita, ruderibus prisci Ordinum discriminis superstruxerat iurum aequalitatem et populo in rebus suis moderandis auctoritatem vindicaverat. Hae dudum exoptatae et vario commendatae argumentorum genere quum in lucem prodierant, altissimas egerunt radices, quarum fibras evellere ne penes ipsum quidem NAPOLEONTEM fuit, qui prudenter a diversis factionibus inter se conciliandis et commiscendis exorsus, mox tamen politicam aeque atque ingeniorum libertatem opprimere aggressus est. Verum temere et cum sua ipsius pernicie. Qua allata, non quidem *apparuit* praesentia iuncta esse praeteritis, sed veteris dominationis praesidia nonnihil esse labe-

---

[1]) *Clementine oder die Frommen und Altgläubigen unserer Tage*, 1841: interpretat. Nederl. quam curavit Doct. VAN SETTEN, 1842, passim, in primis p. 259.

[2]) AEDIGI, l. l. p. 1.

[3]) *M. ob. d.* V *Iunii* CIƆIƆCCCLIX, pugnae illae commissae sunt d. IV et XXIV eiusdem mensis.

[4]) *Fürst Metternich* von LUDW. HAEUSSER in VON SYBEL's *historische Zeitschrift* 1860, 2, 265.

factata mox usu *compertum* est. Nempe ducere populos quo placebat, unde autem placebat abducere, hoc opus, hic labor fore videbatur. Ubi lege de imperio lata cives primum in civitatis regundae communionem venerant, serius ocius statuebant, in iuribus sibi concessis haud acquiescendum videndumque in primis esse, ne ea aut arctissimis limitibus continerentur aut ex vi et calliditate detrimenti quid caperent. Alibi spes huiusmodi legis consequendae irrita facta indignationem movebat. Hîc rediri ad obsoleta, illic ipsis armis opprimi libertatis studia, acriter pungebat multos animoque ab iis ferebatur perquam iniquo. Hanc rerum gerendarum rationem temporibus haud convenire tum apud Francos viri ingenio, doctrina et aetate florentes, adhibita historiae luce, ore vel scriptis aequales suos docebant, tum severum probabat Angliae exemplum. Inde contentiones et turbae, nonnullis valde molestae, quin exitiosae. Interea virium conscientia, quae exstirpari haud potuerat, valde aucta est. Si quaeritur, qua via quibusque adiumentis eadem creverit, multa me ignorare fateor, quorum aliqua sit cum hac quaestione necessitudo. Neque tamen ineptio, si plurima eorum, quae huc pertineant, uno complector *scientiae* vocabulo. Olim in ore fuit: *pecunia est potestas.* Postea BACONIS sententia magis frequentata est: *scientia est potestas.* Equidem integrum cuique relinquo de suis deliciis iudicium. Sed hoc assevero, gravissimarum rerum scientiam admodum crevisse. Hanc acceptam potissimum referimus diligentissimae tum naturae tum civitatis tum hominis gentiumque investigationi. Hinc innumera prodierunt vitae non tantum commodius verum etiam prudentius utiliusque degendae subsidia. Hinc quidquid pusilli est et superstitiosi paullatim debilitatur. Hinc homo erigitur ad vires ipse suas periclitandas evehiturque civitas ad suam ipsius prosperitatem ab exterorum salute non anxie seiungendam. Quodsi scientia eo pluris est facienda, quo pluribus prodest, ecquis ab eius fructibus arcetur? Institutione pauperibus consulitur, ut homines se esse discant, non abiectum vulgus. Cum opificibus disciplinarum physicarum, oeconomiae popularis et historiae elementa communicantur, unde mentis oculum aperiri ingeniumque ad plura etiam quam ad opificiorum emendationem acui necesse est. Qui industriae, agriculturae, mercaturae operam navant, his eae aut praesto sunt aut parantur discendi et ingenia excolendi opportunitates, quibus

nemo alacriter usus ad ea, quae consuetudine recepta sunt, tamquam ad saxum adhaerescet. Quid multa? ut plures identidem suarum sibi virium conscii fiant et his freti maiora concupiscant, rerum utilissimarum scientia efficit, cuius quidem comparandae via nemini praecludenda esse censetur. Aut fallor, aut hanc aetatis nostrae condicionem refert eius speculum, Historiographia. Meministis argumenta, quae olim historicis recentioribus in deliciis fuerunt. Bella et regum fata et politica gentium condicio atque necessitudo principem fere in ipsorum operibus locum tenebant. Nec mirum. Eadem enim in ipsa civitate primas agebant et secundas et tertias. Sed ex quo tempore ipsi populi ostenderunt se esse *πρωταγωνίστας*, hos nobis Historiographia primo praecipuoque loco contemplandos praebere studuit. Magnas profecto habemus agimusque gratias Actorum politicorum investigatoribus, quotquot in his interpretandis se nosse probent, quid distent aera lupinis. Verum optimi viri ne indignentur, si MACAULAYI Historiarum Caput tertium egregium esse contendo historiae utiliter scribendae exemplum. Verum redeo, unde deflexi. Si vera sunt, quae modo disserui, num populi obmutescent, audita Principum voce *stat pro ratione voluntas?* Ante septem et quadraginta annos Vindobonae concilium Deorum de populis statuit tamquam de pecoribus. Biennio abhinc Deorum ille pater, qui nonnumquam totum nutu tremefecit Olympum, cives Italos de mutanda patria, quamquam subridens, in suffragium misit. Scilicet populorum vocem ne tum quidem, quum verba dantur, sperni posse intelligitur. Infelicem Austriam, cuius Gubernatores, etsi testium alio avocantium nube cincti, in pristina perseverant temeritate, haud reputantes illud *vae victis!* Est enim inter praesentia et praeterita filum, a NAPOLEONTE I minime incisum, contra temporum momentis firmiter roboratum. Qua de re si nemini sano dubitare licet, habeo, A. A., quod inde ducam.

Ex dictis enim hoc concludo: Aetas nostra Optimatibus et civitatum Rectoribus est sapientiae magistra. Quod tamen non sic accipiatis velim, ut opinari videar praeter hos neminem eximia, quam dixi, indigere magistra. Ergo artium et doctrinarum praeceptores, Euangelii Interpretes, ii, qui in rebus agendis versantur, et innumeri alii nihilne haberent, quod

paullo accuratius discerent, ne haec quidem: — ab opinionum commentis probe distingui oportere iudicia naturae; fluminis cursum prudenter dirigi posse, ei resisti non posse; iuribus arctissime iuncta esse officia; et alia huiusmodi, in quibus haud raro cum gravi peccatur multorum dedecore et calamitate? Sed ego etsi neque alium quemquam nec vero memetipsum egregia privare velim disciplina, gaudeo tamen Orationis argumentum a me postulare, eam ut praecipue Optimatibus et civitatum Rectoribus commendem. Sic enim publice significare licet, quanti eos faciam. Quos autem colis, his quid mirum si praestantissimam magistram ita ex animo exoptas, ut nemini vehementius? Habet autem haec magistra primum nescio quid submolesti. Nam recens advenas non delenit, blanda verba, quibus in eorum animum se insinuet, plerumque spernit, saepiusque et ipsa utitur ironia et alios invitat ad ridendum. Quae nonnulli aegerrime ferentes, eius consuetudinem quam primum valere iubent. Parum recte. Si enim „genus et proavi et quae non fecimus ipsi" eam auctoritatem et existimationem conferre desierunt, qua olim gloriari licuit fumosarum imaginum heredibus, nonne praestat discere cum molestia quam invidia consumi? Quippe, „videmus istam, inquiunt, ex coeno plebeio emergendi facilitatem in dies crescentem: videmus superbos illos vaporis atmici procreatores in sestertio centies, in sella curuli, in consiliis regum: audimus voces eorum, qui contendunt institutionem mediam tam parvo aere pauperibus constare oportere, ut horum quoque liberi in hominum lucem proferri possint: haec animum exedunt!" Sed mehercle haud exederent, si a magistra non discessum esset. Ipsa enim quum mentem a vanis opinionibus liberavisset, hoc attulisset et penitus perspiciendum praebuisset, nostris temporibus nihil alliud Optimatibus relinqui, nisi ut scientiae opponant scientiam. In hanc si incumbunt, sibimetipsis ea comparant, quibus hodie libra in alteram partem vergit. Et quidni ingenii cultu se commendare studerent, praeeuntibus apud Anglos nobilissimarum gentium sociis, quin in ipsa Russia haud paucis ex eodem ordine viris eodem tendentibus summoque studio omnem foventibus ad humanitatem progressionem. Quod autem sibi conducere intellexerint, id liberis suis haud denegabunt. Parum est barbatos, ut IUVENALIS ait, admovere mille magistros: hoc aliquanto gravius, nullos coram pueris de natalibus et divitiis

sermones habere, informare adolescentes ad bonarum artium, non ad canum et equorum, amorem, praeire familiae ingenii excolendi et pectoris virtute roborandi studio, ut heredes sui mature cognoscant verae laudis viam, eamque diligenti virium intentione sibi quoque patere gaudeant. Praeclare profecto ille, quem memoravi, poeta,

> Maxima debetur puero reverentia. Si quid
> Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos:
> Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.
>
> Hospite venturo, cessabit nemo tuorum:
> Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
> Arida cum tota descendat aranea tela;
> Hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter:
> Vox domini furit instantis virgamque tenentis.
> Ergo miser trepidas, ne stercore foeda canino
> Atria displiceant oculis venientis amici,
> Nec perfusa luto sit porticus (et tamen uno
> Semodio scobis haec emendat servulus unus:)
> Illud non agitas, ut sanctam filius omni
> Aspiciat sine labe domum vitioque carentem?
> Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
> Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
> Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
> Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu
> Moribus instituas [1].

Verum a superiorum ordinum civibus progrediamur ad eos, qui civitatibus praesunt. His aetas nostra severior etiam est quam illis sapientiae magistra. Si quis eorum LUDOVICI XIV instar oculos regiae maiestatis fulgore praestringere vellet, ne ipsi quidem reges negarent, se multos vidisse deliros fratres, sed qui magis, quam ille, deliraret, vidisse neminem. Quis enim paullo quidem cultior Vindobonae gaza imperatoria adeo obstupescit, aut in TIBULLI urbe aeterna Basilicarum divitiis sic in admirationem rapitur, ut inutiles illos thesauros non ardenter conferri cupiat ad

---

1) *Sat.* XIV, 12, 47, 59.

infelicium populorum calamitates sublevandas? Sed non sufficit civitatum Rectoribus animadvertisse, aulae pompam, magnificos titulos, vestimenta picta tanti a populis fieri, quanti ea sunt. Huc vocat, immo impellit aetas, ut quo loco ipsi sint et quid velle civibus liceat et quomodo civitatis proposito satisfiat, probe cognoscant. Haec qui ignorant, radicibus nituntur non profecto firmissimis. In insigni animorum fervore et agitatione, quae omnes regiones pervadit, in crescente cura eorum, quibus civitatum salus et prosperitas efficiantur, si qui aut torpori indulgent aut spem ponunt in frenis, profecto pessime sibi ipsi consulunt. Requiritur vigilantia et efficacissima illa virium intentio, quae civibus persuadeat, ingenii cultum atque rerum scientiam non minoris ab hac quam ab illa parte haberi. Animus requiritur honestatis appetens et vero illa imbutus pietate, quae saevis tranquillos in undis praestat et formulae *Dei gratia* longe multumque antecellit. His praesidiis roborati, non fragilibus catenis indigent, sed firmissima persuadent intelligentiae et virtutis auctoritate, neque animos a se abalienant, sed sibi devinciunt et dubitare neminem sinunt quin, et Principe et civibus suum quisque strenue agentibus, generosa omnium sit in re publica tuenda aemulatio. Haec autem quanti facienda sunt non modo in regnis infinita adhuc potestate utentibus, verum etiam in civitatibus, quarum cives rei gerundae sunt participes! Hîc multa sunt multorum iura et officia; sed in humanae naturae imbecillitate fieri nonnumquam novimus, ut his paullo diligentius illa mentem advertant, nisi forte quartae, quam dicunt, potestatis socios excipis. Aliis autem prae incredibili patriae amore eo nonnumquam abreptis ut, quorsum haec evasura sint, metuas, num parvi videtur momenti, ipsum Principem, cuius nomen immisceri disceptationibus publicis nefas est, excellentissimis, quae hominem ornent, virtutibus universae acceptum dilectumque esse nationi? Si cui magna postulare videor, non utar trito illo *ardua quae pulchra*, sed hoc respondebo: si XENOPHONTI licuit CYRUM suum ad effigiem iusti imperii scribere, mihi sane, fictionem respuenti excipientique aetatis vocem, hortari licet, ut ad praeclara quaeque tendatur. Et horum quidem studium, praeter domesticam condicionem, commendant etiam ea, quae foris aguntur. Decem exacti sunt anni ab ultima civitatis Francicae conversione. Qui NAPOLEONTI III imperium semestre praedixerunt, falsi fuerunt vates. Nec

mirum. Quis enim continuo necessitudinem perspexit inter unius viri ambitionem atque audaciam et voluntatem contentionesque popularium? Utramque autem quum intelligere coeperimus se invicem fulcire et alteri adhuc maximum esse in altera praesidium, omnium utique quaestionum longe gravissima haec est, quo ducat novus ille, quem vocant, *Bonapartismus*. Quodsi, aut volente aut non nolente Imperatore, necessario abripere videtur ad pestiferam istam bonorum externorum cupidinem, cui praeter divitias et auctoritatem nihil est in votis, operae profecto pretium est omnia experiri, ut adversus clandestina consilia et vesaniam illam, quae civitates serius ocius pessumdat, plura comparentur quam bellica subsidia. Est sane quod recti cultus hodie pluris fiat quam antea umquam fieri consuevit; hic vero ubi vim suam et amabilitatem splendidiore loco contemplandam praebebit, quam in civitatis Rectore artibus suis infecto et tamquam colorato?

Spero fore ut aetatem nostram iure illustrissimis viris sapientiae magistram appellasse videar. Dicendi autem finem non ante facere licet, quam disertius significaverim, cur *hos* potissimum dociles velim ad optimae magistrae disciplinam. Causa duplex est. Altera ipsos spectat, ad civitatem refertur altera.

Ordiar illinc, professus tamen, me ab argumentis abstinere ex recentissima Italiae historia a nonnemine petitis. Horum momentum perspicacioribus diiudicandum relinquens, ad illud potius mentem intendo, quam molesta esse videatur clarissima vitae statio, si collocatus in ea sexcenties maximam animadvertit suae et civium voluntatis dissensionem! Vetus illud *oderint dum metuant* parum solatii affert. Nam metus in temporum commutatione identidem minuitur. Audivi quidem, varias esse delicias, quibus molestiae sensus pellatur, eas etiam, quarum nulla umquam ad ceteros mortales pervenerit notitia; sed redit ille sensus, redeunt curae; tempora, quae vivimus, postulare et flagitare non desinunt, pedem referre cogunt et in eas compellunt angustias, in quibus mens nunc huc nunc flectitur illuc. Interea spes, cuius inops vita haud vitalis est, ne levissima quidem fore melius. Ea enim unde affulgeret? A Russia? Scilicet post mortem NICOLAI, cuius successor veterum institutorum stabilitati non omnino

confidit [1])? Profecto haec aegri capitis somnia non expediunt ex angore, sed illa expedit, cuius mentio facta est, docilitas. Haec quantum conducat Principibus ad vitae felicitatem, quam ardenter sit expetenda ipsorum successoribus aetate florentibus, moriar, A. A., si satis digne pleneque indicare possum. Verumtamen gaudeo, infantiae meae subvenire illustrissimi exempli auctoritatem. Quem enim fugit Princeps ille ALBERTUS, cuius desiderio Anglia tenetur? Movet nos diserta Anglorum oratio, vitam illam adumbrantium inde a commorationis Bonnensis tempore rerum honestissimarum indagationi dicatam, et ita conspicuam studio atque commendatione eorum, in quibus aetatis nostrae salus verti videtur, ut ea iam defunctus bonorum omnium gratia floreret et fuisse praedicetur *melior* TRAIANO [2]). In hoc exemplum intueantur etiam superiorum Ordinum cives, quibus vitae felicitas cordi est. Si verum est, quod nuper Clar. MOLINARIUS de Nobilibus Belgis, ipse Belgii civis, affirmavit, plurimos eorum esse homines nihili, habitantes in conventiculis et in stabulis suis [3]), vereor ne magnam voluptatis partem iis adimat spectaculum popularium, labori suo indefesso tum equos acceptos referentium et villas et exquisitam praetiosae supellectilis varietatem tum ornatissimum illum, quem in civitate consecuti sunt, auctoritatis atque existimationis locum, nec dubito quin illi Russiae Nobiles, qui in BASTIATO et in STUARTO MILLIO operam posuerint, ipsorum ignorent pueriles et prorsus inutiles animi cruciatus.

Sed horum docilitas praeterea exoptanda est propter civitatem. Hoc ut appareat, memoro vim exempli, quae quidem eo in utramque partem efficacior est, quo ab illustriore loco id ipsum editur. Sunt, quibus hac de re haud persuasum esse videatur ideoque commodis publicis satisfieri placeat inferiorum Ordinum civibus sublevandis et excolendis. Ego prudentem horum curam tantopere probo, quantopere nego, optimatium eorum-

---

[1]) DE MOLINARI, *Lettres sur la Russie*, 1861. *La Russie sous l'empereur Alexandre II*, in *Revue des deux mondes*, 15 Janv. 1862, p. 257.

[2]) *Life of the Prince Consort*, by EDWARD WALFORD. *Westm. Review*, Jan. 1862, p. 225.

[3]) L.l., p. 41. — „Nous qui sommes accoutumés à la complète nullité et à la morgue impertinente de notre noblesse de club et d'écurie, — nous ne nous figurons guère un prince, homme d'esprit, qui a lu BASTIAT et JOHN STUART MILL," etc.

que, qui civitatibus praesunt, vitam parum movere ceteros cives. In mentem venit non veteris poetae versiculus, sed sententia CICERONIS, cuius ut alia multa, sic hoc in primis praeclarum est: "Non tantum mali est peccare principes (quamquam est magnum hoc per se ipsum malum) quantum illud, quod permulti imitatores principum existunt. — Quo perniciosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent." Itaque interest civitatis horum vitam dissimilem esse pecorum vitae, quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Verum hanc in deteriorem partem vim urguere etsi facillimum, nunc quidem non praecipuum videtur. Et aequum est meminisse extremam disputationis Ciceronianae partem: "pauci vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt [1])." Hanc corrigendi potestatem plurimi facio arctissimeque copulo cum docilitatis, quam significavi, voto. Quod ne cui mirum videatur, meae me aetatis praeconem fortasse appellanti, diserte tandem declarare iuvat, quod tamen non divinandum reliqui, in magna bonorum, quae haec aetas continet, varietate et praestantia eam, me iudice, a perfectione nonnihil abesse. Quid requiri putem, dicam paucis iisque ex sermone communi petitis. Animus nondum tanti fit quanti ingenium. Hinc vitiorum cohors, quae ingenio adeo non sanantur, ut contra augeantur persaepe et ingravescant. Cuius enim in animo igniculi virtutum sic restincti sunt ut naturae lumen vix appareat, quam facile se cogitat unum suusque sibi Deus fit, atque ad se quidem eo magis omnia refert, quo in ingenii excellentia paratiora sunt cupiditatibus obsequendi praesidia! Haec quum haud paucos transversos agant et civitatis vigori admodum noceant, luculenter appareat necesse est, non per avia et devia ullam comparari sive privatam sive publicam felicitatem, sed unam illuc ducere viam, arduam quidem illam, sed unam tantum eandemque laude dignissimam, quippe quae omnium postulet virium nostrarum conspirationem. Hac via si, qui in fastigio potestatis, divitiarum et honorum collocati sunt, ceteris praeibunt, praeclaro munere fungentur. Suo ipsi exemplo ostendentes, ingenii

---

[1]) *De Legg.* III, 14.

cultu, honestate et pietate in unum coalescentibus vitam demum efflorescere naturae humanae dignitati congruam, erunt *lux civitatis undique conspicua*, in quam plures deinceps intuentes recreari se et erigi sentient. Sic civitas corrigetur ab illustrissimis optimae magistrae discipulis, cuius severam illam vocem exceperunt et probarunt, hominem diiudicari ex iis oportere, quae sua ipsius sunt.

Hanc tamen normam si qui eorum verentur propter modestiam, excellentissimarum laudum comitem, haec ipsa verecundia proderit ad civium in ipsos observantiam augendam. Et quemadmodum iis, „quae non fecerunt ipsi", virtute sua ornamento et decori esse cupiunt, ita summa animadvertent cum voluptate, se non tantum ferri sed etiam laudari honestissimum suum genus et proavos eo, quo decet, pietatis sensu prosequentes.

Utinam permultis ex hoc genere hominibus aetas nostra fiat sapientiae magistra! Cur enim culpa ipsi sua in peius ruerent, quum salvi esse, quin revera primas agere, possint? Aureum seculum iis quoque non tum fuit, quum reges Dei in his terris vicarii nominabantur, sed tum illucescet, quum hi, omisso nomine, vicarii erunt. Utinam haec praeter eos, qui Optimates audiunt, omnes intelligant summi Imperantes, intellecta autem liberis suis persuadeant omniumque maxime iis, quos AUGUSTI aequales vocarunt *principes iuventutis!*

Oratione pronunciata, accedo ad muneris mei partem lege praescriptam, quae rerum Academicarum enarratione constat.

Studiorum praesidia non tantum integra servantur, verum etiam prudenter augentur et amplificantur. Illud *integra servari* nonnulli barbare explicant *servari in statu quo.* Nihil impedio, dummodo mihi liceat illustri exemplo ostendere, huius vocis quantum differre possit significatio. In Laboratorio Chemico ea significat: cuncta optime se habent, illudque locum suum in praestantissimis Chemicorum officinis digne tueri pergit; in Nosocomio Academico sensus hic est: inde a viginti quinque annis nihil usquam exstat deterius. — Quamquam specula nos oblectat novi aedificii, quae Medicinae Professoribus eo sane gratior est, quo maiori aegrotantium numero ipsi coram discipulis opitulari cupiunt, quoque lae-

tiora afferunt de polyclinici et tococomii incrementis et utilitate. Verum studiorum praesidia etiam augentur. Nam instrumentorum physicorum apparatui nonnihil accessionis obtigit. Idem praedicatur de Laboratorio Physiologico. Museum Zoologicum, divendito EYNDHOVENII Museo, locupletatum est animalium exemplis praecipue ex genere insectorum. Observatorium Astronomicum, quod suos edere coepit Annales, ad angulos metiendos instrumentum accepit perpulchrum, quo quum peragi multa possint, quae adhuc instrumentorum varietatem postulabant, iure illud appellatur *universale*. Hortus Botanicus in altera sui parte rerum humanarum fragilitatem, in altera progressus disciplinarum testatur. Illic enim pristina Anatomiae et templi SALOMONEI sedes, in qua per hos quadraginta annos asservatae sunt plantae habitaeque in primis veterum Literarum, Historiae et Philosophiae scholae, lugentibus paucis, solo propemodum aequata est; hîc caldarium exstructum est elegantissimum, cuius curam ut Horti Praefectus diutissime gerat, omnes optare scio, qui Academiae Rheno-Traiectinae favent [1]). Bibliotheca Academica ornata est donis tum ordinariis, quae a Rege eiusque Administris et a patriis exterisque doctrinarum societatibus quotannis mitti solent, tum extraordinariis, quae nonnullis accepta referuntur Professoribus. Praeterea, ut ex locupletissima HOLTII nostri Bibliotheca optimi nonnulli de Iure Romano et mercatorio libri compararentur, Ordini Iurisconsultorum venia data est a Curatoribus. Sed Amplissimi viri quo sint in Bibliothecam animo, probarunt festi, quod mense Iunio celebravimus, opportunitate; cuius in memoriam quot quamque gravia in vario doctrinae genere opera huc, ipsis auctoribus, collata sint, posteros non latebit. Verum haec grato animo praedicantem metus invadit, ne cives nostri, quorum singularis unicuique nota est munificentia, Bibliothecae satis laute consuli existiment. In hunc errorem optimos viros ab Academiae Rectore induci minime oportet. Sciant velim, voluntati multum cedere facultatem. Cogitent stupendos omnium discipli-

---

[1]) Hoc dixi propter rumores de MIQUELLII nostri in Leidensem Botaniçes cathedram invitandi consilio. Hos rumores haud vanos fuisse, paucis diebus post accepimus, sed accepimus etiam, virum Clar. sententiam rogatum intercessisse, quominus ipsi Regi commendaretur. Quod quanto gaudio nos perfuderit, vix opus est ut dicam.

narum progressus, quos accurate novisse et diiudicare in subsidiorum publicorum tenuitate arduum est. Cogitent etiam, Bibliothecam non tantum Academiae Doctoribus et Alumnis, sed nullis non viris cultis, sibi etiam suisque amicis, cognatis, filiis inservire; vel potius ipsi explorent thesauros illos nostros attente, sedulo, sine partium studio; dicent, certo scio, „non somniavimus quidem divitias CROESI, sed hanc paupertatem in Almae Matris, quae civitatem Traiectinam ornat, supellectili literaria vix ferendam esse censemus."

Haec de Academicis studiorum adminiculis. Quibus quum addam Nosocomium Ophthalmologicum et Institutum Meteorologicum, non obiicitis, haec neque titulo neque subsidiis Academiae iuncta esse. Nam huic iuncta sunt Praefectis suis et fructibus, quos per hos, instituto quemque suo in gravissimarum rerum indagatione adiutos, capiunt Academiae cives. Quamobrem, misso titulo, utrumque ut et institutioni atque doctrinae et miseris atque prostratis terra marique mortalibus plurimum prodesse pergat, omnes optamus.

Sed redeo ad festi, quod modo attigi, mentionem. Est hoc in Academiarum nostrarum historia prorsus singulare. Maiores enim, quamquam in rebus domesticis haud alieni a sollenni quinque lustrorum memoria, in publicis tamen, certe in Academicis, festa tantum celebrarunt tum secularia tum seculi dimidiati spatio definita. Nos autem, morae impatientes, laeti celebravimus annum Academiae Rheno-Traiectinae natalem ducentesimum vicesimum quintum. A seriis in hoc ipso Auditorio exorsi, dedimus nos hilaritati, quam fruendam praebuerunt Magistratus urbanus et Academiae alumni. Venerant in laetitiae communionem cives et exteri. Suavissima coeli temperie favente, non importune compellebamur in aedes nostras, sed die noctuque cum matronarum et puellarum flore foras prodeuntes, pulcherrimo oblectabamur spectaculo urbis eleganter ornatae sertisque redimitae et innumeris collustratae lychnis; tum vero exquisita illa oblectabamur studiosorum pompa, festis etiam pyrotechnicis et musicis adeo concinnis, ut in iis parandis Musae et Gratiae conspirasse viderentur. Quid dicam de civium Academicorum erga omnes humanitate? Minervae se praestiterunt et Musarum cultores. Sic sex exacti sunt dies pleni iucunditatis, quam veterum commilitonum salutatio, omne quod pulchrum est

et elegans et decorum, lepores etiam atque facetiae, humanitate conditae, afferre solent. Interea non defuit ad seriora redeundi opportunitas. Nummus enim, quem Magistratus urbanus in festi memoriam cudi iusserat, ipsis illis diebus Academiae Curatoribus, Professoribus, Lectoribus et Alumnis eiusmodi oblatus est Literis, quibus ad Academiae amorem probandum nihil scribi dignius potuit, sed nihil etiam gravius ad persuadendum, Academiae salutem pendere ex diligentissima uniuscuiusque officio suo fungendi cura. His Literis per matutini temporis tranquillitatem lectis nostrumne neminem suimetipsius puduit? Vel si strepitum vix intra aedes suas effugere paucis licuit, nihil postea nos movit Literarum illarum severitas? Utinam Academiae bono cedant, quaecumque Curatoribus, Doctoribus et Alumnis tum cum pudore suo in mentem venerint generosa consilia! Erit hic lustri Academiae Rheno-Traiectinae quadragesimi quinti fructus longe uberrimus.

In rerum secundarum commemoratione et vos animo mihi obversamini, Collegae coniunctissimi, quibus inexspectata obtigit de liberis vestris laetandi causa, nec tui non recordor Clar. VINKE, quem munere professorio per viginti quinque annos functum ante hos tres menses ego et Graphiarius Senatus nomine salutavimus. Quam iucundus tibi ille dies fuit, quo discipuli tam exteri quam patrii de tuis tibi gratulati sunt laboribus Academicis, quo etiam veteres Commilitones, praeeunte OOSTERZEEO tuo, cuius *ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή*, disciplinae tuae rationem et propositum grati exposuerunt! Sint tibi eae corporis vires, quibus Academiae et Ecclesiae ad metam usque prodesse pergas, tandemque, BOUMANNI nostri instar, numquam minus otiosus sis futurus quam quum otiosus eris! Vivit, A. A., qui in gravissimum vitae discrimen inciderat, Clar. SCHROEDER VAN DER KOLK; ante paucos dies optimum virum adii eique, reditum ad studia paranti, affirmare non dubitavi, hanc rem vobis omnibus longe gratissimam esse futuram [1]).

---

[1]) Fallacem spem! Brevi post apparuit, virum praestantissimum omnibusque dilectum morbo levatum, non liberatum esse, contra gravissimam huic Academiae cladem imminere. Haec nobis illata est d. I m. Maii. »Quidquid ex optimo viro amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis nostris."

Utinam in secundis hisce subsistere liceret! Sed annus nec sine nostro luctu exactus est nec sine clade nostra. In Curatorum Collegio inque nostro et in Civium Ordine esse meministis, gravissimis eheu! percussos vulneribus. Nos, quibus plurima ex voto fluxerunt, non adeo duri et ferrei sumus, ut suum cuique dolorem relinquamus. Quodsi nostra misericordiae significatio ipsis moerentibus parum satisfacit, constat profecto, efficacius esse malorum levamen; quin redeundi ad molestissima vitae negotia facilitatem et mentem aequam tum maxime obtingere, quum hoc maxime placet: *fiat voluntas tua!* Quod autem cladem nostram dixi, ipsi iam pronunciastis nomina Professorum rude donatorum HOLTII, ACKERSDYCKII et SUERMANNI.

De his viris silere praestat quam pauca dicere. Sed illud vetat regium de Institutione superiore decretum, hoc iubet mea disciplinarum, in quibus illi regnarunt, imperitia. Accedit, quod HOLTII et ACKERSDYCKII merita ex scriptionibus cognovistis discipulorum eorumdemque in Cathedra Academica successorum [1]). Quamobrem ita pius erga hos vita defunctos Collegas esse cupio, ut meae in vos observantiae ne desim.

Et ambo quidem desideratissimi viri honesto genere orti, aetate suppares [2]), in magna ingenii morumque dissimilitudine per quinquaginta amplius annos ea iuncti sunt familiaritate, quam mors dissolvit. Utrique ad senectutem singularis fuit discendi sitis, quae quum domesticis studiis expleri non posset, frequentes ab iis susceptae sunt in remotissimas Europae terras peregrinationes. Quarum quidem opportunitate etsi uterque mores hominum multorum vidit et urbes, disciplinis tamen, quas ACKERSDYCKIUS coluit, factum esse videtur, ut HOLTIO, populorum praecipue linguas et literas et iurisprudentiam in itineribus exploranti, ipse rerum eadem opportunitate indagatarum numero et varietate haud cederet. ACKERSDYCKIUM

---

1) B. J. L. DE GEER, Mr. A. C. HOLTIUS. — O. VAN REES, *De wetenschappelijke werkzaamheid van* Mr. J. ACKERSDYCK. — Postea in lucem prodierunt *Levensberigt* van Mr. ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS door J. HEEMSKERK BZN. en *Levensberigt* van Mr. JAN ACKERSDYCK door W. C. MEES, in *Handel. der Maatschappij van Nederl. Letterkunde* 1862, p. 25 et 285.

2) ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS, Koudekerka-Hollandus, natus est d. XIII Oct. CIƆIƆCCLXXXVI. IANUS ACKERSDYCK, Sylvaducensis, natus est d. XXII Oct. CIƆIƆCCXC. Obiit ille d. XXIX Martii CIƆIƆCCCLXI, hic d. XIII Iulii CIƆIƆCCCLXI.

enim, ab erudito patre Iurisprudentiae destinatum, mature allexerunt Literae et res gestae populorum recentiorum eaedemque sponte duxerunt ad disciplinarum politicarum in primisque oeconomiae politicae studium, in quo si quis tota mente omnique cogitatione est defixus, nihil foris a se alienum censet, quod vitam exterorum spectat, ut ex increscentibus comparandi subsidiis sua harum rerum scientiae firmitas paretur. HOLTIUM vero, mentis impetu potius quam ex parentum consilio a vitae practicae praeparatione ad studia Academica traductum, incredibilis cepit veterum Literarum et Iurisprudentiae Romanae amor, qui licet altissimas in ipso egerit radices, numquam tamen impedivit, quominus hic in recentiora tempora interius se insinuaret excurreretque frequentius quam illum ad Antiquitatem rediisse novimus. Uterque miro ingenii acumine et exquisita sollertia praeditus verique disciplinis suis tuendi studiosissimus sibi quidem, omnium egregiorum virorum instar, suam debuit excellentiam, neque tamen nihil aetati suae acceptum retulit. Alter enim, perspecta in HEUSDII et RHOERII scholis Historiae et Iurisprudentiae necessitudine, non tantum se convertit ad historicum illud Iuris Romani studium, quod tum in Germania exortum erat, sed etiam GUSTAVO HUGONI, auctori illius praecipuo, ipse iam Iuris Professor, se in disciplinam tradidit; unde et alios percepit egregios fructus et constantiam duxit disquisitionis historicae cum omnibus, in quas deinde incubuit, doctrinae partibus coniungendae; cuius rei illustri documento et scholae fuerunt et sunt etiamnunc scripta de iure mercatorio. Alter autem, cognita aetatis suae ad maiorem libertatem aequalitatemque inclinatione, eo pluris delicias suas fecit, quo certius ipsi constabat, harum voce tandem repressum iri superbiam imperitorum, quos, quid mutata rerum condicio poscat, latere solet. Hinc illi anno huius seculi tricesimo primo ex Academia Lovaniensi et Leodiensi huc translati per viginti quinque annos eximii fuerunt optimis huius Academiae civibus praeceptores, suo quidem quisque modo, ille adstricte et sententiose, hic aliquanto concinnius et disertius, ambo autem perspicue, acute eaque verborum simplicitate, quae est persuasionis effectrix, plurima tradentes, quibus ipsorum maxime operâ Belgii auditoria dudum personuerant, neque tamen docendo id agentes, ut scholam conderent, sed ut ad virium intentionem inquirendique libertatem et vero ad *αὐτουργίαν* unumquemque exemplo monitisque incita-

rent. Quod iis optime cessisse, testes sunt nostratium tum in historico iuris studio tum in prosperitatis publicae doctrina progressus. Hos viros praestantissimis placuisse, quibus exteri gloriantur, civibus minime miramur, memores et ceterarum utriusque virtutum et limatissimi iudicii et vero facilitatis illius, qua cum ipsis sua cuiusque lingua disserere solebant. Nam Anglice, Germanice, Francice et Italice loquebantur, ut nostratium perpauci, HOLTIUS etiam Danice, Latine autem sic, ut ipsum GAIUM sibi audire viderentur discipuli. Quamquam in ACKERSDYCKIO fuit, quod *plurium* exterorum ipsi quam HOLTIO notitiam et familiaritatem pararet. Statuebat enim ille, nostra aetate viros doctos ab iis, qui in rebus agendis versantur, minore quam antea intervallo separari, et idcirco lubentissime saepissimeque patrios et exteros adibat cultissimorum utriusque generis hominum conventus. Sed fuerunt qui mirarentur, utrumque, celeberrimorum apud exteros virorum gratia florentem, consecutum quidem ab his esse eruditionis et sollertiae laudes honorificis verbis perscriptas, nulla vero accepisse honoris insignia. His alios respondere memini, neutrius mores tulisse ut, a qua re domi alienissimi essent, in itinere candidatos agerent. Quod autem gravius, ex his discendi opportunitatibus ab ACKERSDYCKIO avide anquisitis, pariter atque ex omni eius studiorum ratione et proposito, hic vindex prodiit placiti de necessitudine inter iurisprudentiae et oeconomiae politicae disciplinam; quod placitum si eo pertinet, ut in diiudicando iure minoris fiat natura rerum ipso iure constitutarum quam praeceptorum oeconomicorum auctoritas, haud scio an HOLTIUS, nostras ille PAPINIANUS, qui in egregiis iuvenibus laudandis semper ipsorum modestiae pepercit, iuvenili disciplinae hunc principatum dubitanter admodum tributurus fuisset. Quidquid est, quantumcumque alterum Collegam ab altero distulisse novimus, ambo in sua quisque disciplina principes huic Academiae eximio decori et ornamento fuerunt, quibus igitur parentare ut mihi honorificum duxi, ita silentio haud premam, amicitiae, qua HOLTIUS me, HEUSDII sui affinem, prosecutus est, nullum diem deleturum esse memoriam.

Quum aliquot mensibus abhinc ex hoc ipso loco SUERMANNI filii adolescentiam Academiae nostrae alumnis in exemplum proposui [1]), nequaquam

---

[1]) *Dicta in Auditorio maiore d.* XVII *Iunii* CIƆIƆCCCLXI.

metus fuit, ne hodie patri parentarem [1]). Alacer enim optimus senex erat et ita ex gravissimo morbo convaluerat, ut, nisi Medici dissuaserat prudentia, sollennibus nostris interfuturus fuisset. Et hac quidem valetudine satis commoda usus est per omne fere aestatis et auctumni tempus, semper in legendo aut scribendo occupatus et numquam minus solus quam quum solus erat. In sermonum autem dulcedine et varietate amici nihil fere requirebant eorum, quibus ille per totam vitam multorum ora in se convertit. Haec quaenam fuerint, ecquis civium Traiectinorum ignorat? Sed quo pluris ea fiant, meminisse nos oportet illius, quem ornarunt, initia. Quod NIEUWLANDO et BORGERO cessit, ut se ad maiora natos ostenderent quam rei familiaris angustiae ferebant, haud dissimilia SUERMANNI initia fuerunt. Parentibus bonis et piis mature orbatus, invitis paene cognatis, impetravit ut in disciplinam traderetur Chirurgo, cuius tonstrina et modica artis factitandae supellex alumno, si rem strenue ageret, futuram vitae condicionem praesagire videbantur. Officio suo adolescens, qui puer praeter linguae Francicae elementa vix quidquam perceperat, minime defuit, tantumque didicit, ut aetatis anno sexto decimo in nosocomiis Harlemensibus militaribus multam et utilem operam praeberet vulneratis Anglici et Russici exercitus militibus. Ex hac palaestra exercitatior decedens et interea oblata veteres linguas addiscendi opportunitate strenue usus, paullatim maiora animo volvere coepit omninoque optare, ut summos aliquando in Medicina honores consequeretur. Huius rei causa anno CIƆIƆCCCVII, initis iam nuptiis cum Euangelii in coetu Wallonico Harlemensi Interpretis *emeriti* filia, Academiae Traiectinae civibus adscriptus est *Medicinae Studiosus*. Tum non diu latuit MATTHIAM GEUNSIUM, Ordinis Medici decus insigne et vero acrem ingeniorum iudicem. Cui studiorum duci praecipuo ita progressus suos probavit, ut ille anno huius seculi nono acutissimo disputationis Medico-Chirurgicae scriptori [2]), nihil huiusmodi exspectanti, Medicinae Cathedram in Academia Harderovicena, sexennio post multum lau-

---

[1]) BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN, Harlemensis, natus est d. IV Oct. CIƆIƆCCLXXXIII, obiit d. XI Febr. CIƆIƆCCCLXII.

[2]) Diss. *de Arsenici in corpus humanum effectibus eiusque usu, hodie celebrato, medico, praesertim ad Carcinomatis curationem.* Trai. ad Rh. 1809.

dato Professori eandem in Traiectina nostra offerendam curaret. In utraque statione SUERMANNI vita fuit occupatissima, iunctis quippe muneri professorio omnibus praxeos medicae curis et laboribus. Documento est non tantum maxima aegrotantium, ad quorum lectulos adsedit, multitudo, sed etiam ingens hominum numerus, qui ex nullo non patriae angulo huc venerunt consilii ab ipso expetendi causa. Et horum quidem plurimis is visus est SUERMANNUS, qui sua ope ex incertis certos consiliique compotes dimitteret. Si quis dicit, hanc famam fuisse praemium doctrinae atque peritiae, dubito num plenissime dicat. Quantum enim abest, ut doctissimus quisque et peritissimus medicus opem flagitantium et penitus ipsi confidentium multitudine tamquam obruatur! SUERMANNI certe laudibus illis accesserunt alia, partim etiam iuvenili disciplina haud percepta. Quorum hoc potissimum admirationi fuit, quod nulla umquam prodebat *vestigia ruris*. Cum quibuscumque hominibus una erat, mira eum commendabant consuetudinis facilitas, urbanitas et prudentia. In sermonibus multus decor, lepore, si res ferebat, exhilaratus modestiaeque comes, quae aliis non temere adversando neque iis se praeponendo sponte multorum sibi parat amicitias. De Terentiano illo *obsequium amicos, veritas odium parit* quo certius SUERMANNO ex multiplici hominum usu persuasum fuit, eo prudentius in altera parte fecit, quantum licere videbatur, eoque minus in altera suavitatem a fortitudine seiunxit. His laudibus conspicuus, vir peritissimus tam placide adsidebat aegrotantibus, ut, licet prae negotiorum frequentia nesciret saepius quo se verteret, unicuique tamen eorum vacare soli videretur. Tum eius sollertiam nihil facile fugiebat, quod vel aegrotanti vel huius familiae curae esset. Unde factum, ut, animo etiam excellens in utramque partem benevolo, revera tam gaudere cum gaudentibus quam cum lugentibus lugere atque consilii inopibus adhortando, monendo, adiuvando etiam prodesse soleret. Hinc verba eius, afflictos consolantis, leniter in animos tamquam influxisse dicuntur; quamquam si de postremis viginti annis sermo est, verborum facundiam superavit vultus viri in carissimorum capitum, in filii collegae desiderio tranquilli, compositi, sereni, haec tenentis et opportune praedicantis LUTHERI verba: *firma arx est Deus noster*. Profecto non minus ille dignus fuit, quem lugentem CLARISSIUS erigeret quam hunc afflictum ab ipso confirmari decuit. Sed qui alios probe norat,

sui fortasse ignarus fuit? Nihil minus. Feruntur nonnumquam homines, praeter opinionem in loco edito collocati, alto supercilio studia despicere sibi, tantis viris, inutilia. Sunt haec vestigia ruris. SUERMANNUS autem, penitus intelligens, quantum boni ex *iusta* institutione puerili capere potuisset, numquam desiit ingenii excolendi opportunitates anquirere, et vero lacunam, quam in semetipso explere studuit, sic a liberis suis avertit, ut ad se ipsum superandum illis viam sterneret. Ex qua paterna cura prodiit filius ille natu minor, qui plures una cathedras egregie ornare potuerat. Et hunc ut alia docuit gravissima, ita hoc supra quam dici potest perspicue: viro negotioso haud licere umquam esse otioso. Meministis, Collegae, et vos, Academiae Curatores, vesperae illius, qua nos biennio abhinc in memoriam muneris professorii, ante decem lustra initi, non tantum convivio excepit, sed etiam pavit vitae ante actae narratione illa simplici, modesta, attico sale adspersa in primisque gravi et diserta. Tum nobis contigit in senis mentem introspicere accepimusque mirificam eius plurimis negotiis vacandi facultatem. Nam se numquam novisse aiebat *dulce illud nihil agere.* In hoc exemplum intuiti sunt Medicinae studiosi. Audientes eum Chirurgiam aliasque Medicinae partes explicantem, non didicerunt, in doctrinae copia Medicis posita esse omnia. Verum, quod rude donatus magister aliquoties in *Serie Lectionum* scripsit, "se summam eorum, quae rite perfungendo Medici officio ipse longo artis exercitio didicisset, commilitonibus traditurum esse", cum hoc ipso accepi semper arctissime iunctam fuisse Suermannianae disciplinae praestantiam. Hinc quamdiu doctrinae, multiplici rerum hominumque cognitioni, humanitati et vero fortitudini illi, "quae coram aegrotis, quum agnoscitur imo sentitur mortiferum virus, suum novit officium", quamdiu igitur sua his virtutibus apud nostrates constabit laus, tamdiu SUERMANNI in Academiam Rheno-Traiectinam inque patriam merita grato animo praedicabuntur.

Luget Academiae Bibliotheca Custodem suum diligentissimum, inexspectato nobis ereptum [1]). Per quadraginta amplius annos ADERIUS vario titulo operam suam Bibliothecae dicavit. Qui eum norant, in quibus me a iuventute fuisse profiteor, eius diligentiam, variarum in primis veterum

[1]) D. VIII Sept. CIƆIƆCCCLXI.

literarum peritiam, exquisitas omnino ingenii animique laudes magni fecerunt. Primus vita decessit ex eorum commilitonum numero, qui anno CIƆIƆCCCXV tecum, Vir Ampl. VAN RAPPARD, quem Deus diu incolumem nobis servet, ex Hieronymiano ad Academiam sunt dimissi. Equidem impense gaudeo, Bibliothecae Praefectum me eo vocasse, quo ipse animus impulisset, ut optimi viri memoriam his sollennibus commendarem.

Ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ
ἄνθρωπος·

In haec Pindari verba [1]) sponte incidimus, allato iuvenum obitu. Ornatissimi SWELLENGREBEL et VONK, spatia Academica vix ingressi, eodem morbo absumti eodem die sunt [2]). Et vix decursis illis spatiis diem obiit Consultissimus CROMMELIN [3]), fructus sperans diligentiae operaeque in Iurisprudentia laudabiliter positae. Fuerunt haec funera acerba, quorum memor parentibus atque cognatis in carissimorum capitum desiderio efficax doloris levamen ex animo opto. Vos autem adspiciens, optimi Iuvenes, absit mors atra, precor!

Intra octo annorum spatium bis magistratu Academico fungi haud scio an nemini videatur finis bonorum. Hoc tamen si cui paratur, obtingat ipsi, quod mihi et Groningae contigit et Traiecti, ut magistratum eo gerat anno, quo victores in certamine literario sollennibus nostris interfuturi sunt. Nam praemia Regis munificentia constituta, stimulos illos doctrinae honestissimos, quis non lubentissime tradit? Itaque vos, A. A., favete linguis, testes honorum, qui quatuor egregiis iuvenibus impertientur. Ante tamen te, Clar. FRUIN, qui Senatus Acta curas mihique omni muneris nostri tempore fidus ACHATES fuisti, rogatum velim, ut Ordinum de commentationibus ad nos allatis iudicia recites [4]).

---

[1]) Pyth. VIII, 95.
[2]) D. XI Iunii CIƆIƆCCCLXI.
[3]) D. VII Nov. CIƆIƆCCCLXI.
[4]) Vid. inf. p. 110.

Tu primus accedas, praestantissime CORNELISSEN [1]). De te ea olim ab adolescentiae tuae praeceptoribus accepimus, ut lubenter te in discipulorum nostrorum numerum retulissemus. Commentationem nobis obtulisti tantae industriae eorumque progressuum in philologia et in historia Graeca testem, ut de communi omnium sententia laudibus, quae primis proximae sunt, ornanda videretur. Has rogantibus nobis annuit Rex Augustissimus. Accipe igitur hunc nummum argenteum, et vero perge quo coepisti modo. Aut falsus sum vates, aut Academiae Leidensis decus eris et ornamentum.

Te quoque, quem ornare gestio, Leida fovet, praestantissime SCHUIT [2]). Honorifica Medicorum est de tua Disputatione sententia. Nam licet sint, quae requirat Ordo, quis non plurimi faciat, quas ille praedicavit laudes, singularem tuam doctrinae praestantiam atque iudicandi sollertiam eximiamque indagandi peritiam? Macte virtute esto, cui hunc acceptum refers nummum aureum, et sic porro in disciplinam tuam incumbe omnesque mentis vires excole, ut, relictis Academiae spatiis, de te Medico civitati optime sperare quin confidere liceat.

Praestantissimi MOUTON et DIBBITS [3]), eae sunt Commentationum vestrarum virtutes, ut, nisi Ordinum vices sic tulissent, vos certe non ultimo loco huc vocassem. Sed vos adspiciens, egregios de duobus aemulis in difficili certamine victores, doleo, unum tantum mihi suppetere nummum aureum. Hunc tu, praestantissime MOUTON, sorti debes. Tibi autem, optime DIBBITS, hanc chartam tradens, earumdem laudum pignus, recordor patris tui, ante hos quadraginta quatuor annos ab

---

[1]) Quaestio Ordinis Phil. Theor. et Lit. Hum. prima: Amphictyonum consilii ratio et historia, exploratis scriptorum testimoniis et monumentorum indiciis, exponantur.

[2]) Quaestio Ordinis Medicorum: Quaeritur descriptio glandulae prostatae, in primis humanae, iconibus illustratae, penitiori etiam structura microscopio indagata, additis, quae defendi possint, consectariis physiologicis.

[3]) Quaestio Ordinis Discipl. Mathem. et Physic. prima: Critice exponatur, quid innotuerit de elementorum allotropia.

avunculo meo primis honoribus ornati [1]), Theologi docti, acuti, earumdemque disciplinarum, in quibus tu habitas, amantissimi; cogito matrem tuam gaudio a te cumulatam; laetus video fratres, laudatissimos huius Academiae alumnos, in domesticae laetitiae communionem venientes. Hunc aemulum, Praeceptoribus etiam aliisque multis carissimum, tu, optime MOUTON, vincere non potuisti, quemadmodum neque ille tibi palmam praeripere potuit. Accipio omen. Vos, Iuvenes egregii, cognita in hac arena dexteritate vestra, quidquid virium atque nervorum est, hoc omne eo conferetis, ut alter alteri in disciplinarum physicarum studio nihil quidquam cedat. Generosam hanc contentionem sibi honorificam censebit vestra Alma Mater, Academia Leidensis et Traiectina.

Praemiis distributis, a nobis quidem, Iuvenes optimi, novorum reportandorum opportunitas non offertur, sed haec mense Aprili offeretur vobis a Senatu Groningano. Utinam, cognitis illius Academiae quaestionibus, multis vestrum placeat in arenam descendere! Sunt in Ordine vestro, variarum disciplinarum studiosi, iis et ingenii laudibus et progressibus conspicui, ut horum quemque Homericum illud memori pectore condere oporteat: *αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.*

Sollennibus paractis, superest, ut Academiae magistratum in successorem conferam, GOZEWINUM IANUM LONCQ, CORN. IANI filium. Hunc virum Clar. e regia auctoritate in annum proximum Academiae Rheno-Traiectinae Rectorem Magnificum dico, renuncio, proclamo.

Salve, Vir Magnifice, occupa hunc tibi destinatum locum et fac, quod facies, ut quo nomine te Medicum colunt, eodem nos Rectorem nostrum salutemus, *πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων.* Ex tua auctoritate, tamquam ex limpido fonte, ut bona quaeque in Academiam Traiectinam manent, vehementer opto.

---

[1]) Vid. Annal. Acad. Rh. Traiect. a. 1817—1818.

INDEX SCRIPTORUM,

QUAE EDIDIT

ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS.

Quaestiones Iuridicae Inaugurales. Trai. ad Rh. a. d. 6 Apr. 1811.

Oratio de Literarum studio in primis Graecarum cum Iurisprudentia coniungendo, habita a. d. 24 Oct. a. 1816, quum in Illustri Athenaeo Daventriensi Iuris Professionem auspicaretur, inserta Annal. Acad. Gron. a. 1816—1817.

Oratio de Iure Praetorio, cum apud Romanos tum apud Anglos, ad ius civile supplendum et emendandum aptissimo, habita a. d. 20 Sept. 1821, quum in Academia Groningana Iuris Professionem auspicaretur, inserta Annal. Acad. Gron. a. 1820—1821.

Prijsverhandeling, uitgegeven door de 3de klasse van het Koninklijk Nederlandsche Instituut van wetenschappen, letterkunde en schoone kunsten: over de Regten, het aanzien en den invloed der Romeinsche Regtsgeleerden, onder den titel: Quaenam fuere Iura, auctoritas, dignitas Iureconsultorum Romanorum, inde a temporibus CAESARIS AUGUSTI usque ad decessum IUSTINIANI Imperatoris? Quae eorum vis fuit cum ad universae Reipublicae salutem, tum vero ad meliorem iuris ac iustitiae administrationem? in: Prijsverhand. der 3de kl. van het Inst. 1822.

Oratio de Iuris Romani studio etiam post renovatum ius nostrum legibus pernecessario, habita a. d. 29 Iulii a. 1823, quum in Academia Lovaniensi Iuris Professionem auspicaretur, inserta Annal. Acad. Lovan. a. 1822—1823.

Analyse du Mémoire couronné par l'Institut des Pays-Bas, sur la Question: Quaenam fuere iura, auctoritas, dignitas Iureconsultorum Romanorum rel. — in: Thémis ou Bibliothèque du Iurisconsulte, Bruxelles 1825, VII, p. 224.

Sur quelques ouvrages de droit commercial écrits en Hollandais, in: Thémis l. l. p. 252.

Est ce *l'acceptation* de l'hérédité, qui produisait, en droit Romain, l'obligation entre l'héritier et les légataires? in: Thémis l. l. p. 490.

Réflexions sur la force probante du livre des courtiers, in: Bibliothèque du Iurisconsulte et du Publiciste, Liège 1826, I, p. 57.

Notice nécrologique de M. JACQUES PHILIPPE DE BRUYN, l. l. p. 193.

Analyse de deux ouvrages:

Observations on the study of the civil law, by DAVID IRVING LL. D. the third edition. Edinburgh 1823.

Historical Notices of the Roman law, and of the recent progress of its study, in Germany by JOHN REDDIE I. V. D. Gött., Edinb. 1826, l. l. p. 322.

Essai sur le *beneficium competentiae*, l. l. p. 389.

Aankondiging van: *Gazette des Tribunaux*, l. l. p. 553.

Verslag van: *Oratio de praecipuis eximie in patria exculti Iuris Romani causis*, *quam habuit* I. D. VAN TWIST, *Daventriae* 1826, l. l. p. 561.

Coup d'oeil sur les dissertations soutenues dans les Universités des Pays-Bas, pendant l'année acad. 1824 à 1825, l. l., p. 90 et 367.

Beoordeeling van: Nouvelle explication de la distinction entre les choses *mancipi* et *nec mancipi* chez les Romains par H. ROLIN, Avocat. Gand 1827; en van:

A. F. E. LE LIÈVRE, Dissertatio de usufructu accrescendo, Lov. 1827, in: Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving, 1828, III, bl. 366.

Observations sur le droit d'accroissement entre Légataires d'après le droit Romain, les lois de Justinien et les législations modernes, in: Bibl. du Jurisc. et du Publ. Bruxelles 1828, II, p. 235 et p. 534, 1830, III, p. 321.

Sur le: The Jurist or Quarterly Journal of Jurisprudence and Legislation, l. l. 1828, p. 288 et p. 566.

Sur l'enseignement du droit à l'Université de Londres, l. l. p. 562.

Over den zin van het *Uti legassit* der twaalf Tafelen, in: Bijdr. tot Regtsgel. III. bl. 554.

Bemerkungen über Band IV, Heft 1 S. 76 der Krit. Zeitschrift für Rechtwissenschaft, in Zeitschr., l. l. p. 504.

Over de *aditio hereditatis* als grondslag der verpligting tusschen den erfgenaam en de legatarissen; tegen Mr. C. J. VAN ASSEN, in: Bijdr. tot Regtsgel. IV, bl. 485.

Onuitgegeven Brieven, als Bijdrage tot de Geschiedenis van het regtsgeleerd onderwijs in de Nederlanden; medegedeeld door Mr. A. C. HOLTIUS, in: Bijdr. tot Regtsgel. IV, bl. 617.

Verslag van het: Discours d'ouverture de M. DOUGLAS CHEAPE, Prof. de droit Romain à l'Université d'Edimbourg, in: Biblioth. du Jurisc. et du Publ. 1830, III, p. 377.

Lettre d'un Jurisconsulte Anglais sur la responsabilité ministérielle, avec des remarques de M. HOLTIUS, l. l. p. 437.

Historiae Iuris Romani Lineamenta. Leodii, Desoer, 1830.

ULPIAN's Ansicht von dem Enstehungsgrund der *actio ex testamento*, in: HUGO's Civilist. Magazin VI, S. 351.

Mededeelingen van Engelsche Regtsgeleerdheid, in: Bijdr. tot Regtsgel. VI, bl. 338.
Over het Interdictum de *vi armata*, l. l. VII, bl. 5.
Over de ware definitie van *furtum* in het Rom. Regt, l. l. VIII, bl. 34.
Over bezitverkrijging bij *cognoscement*, l. l. bl. 181.
Oratio de liberalitate maiorum nostrorum, quae Academiis instituendis augendisque cognita est, habita die 24 Martii a. 1836, quum Academiae Rheno-Traiectinae regundae munus deponeret, inserta Annal. Acad. Rheno-Traiect. a. 1835—1836.
Fransche instellingen in het Koningrijk Napels sedert 1815, Regterlijke Magt, Notariaat, Registratie en Hypotheken: in: Bijdr. tot Regtsgel. XII, bl. 5.
Ueber „*adversus hostem aeterna auctoritas*," in: HUGO's Civilist. Magazin. VI, S. 524.
Historiae Iuris Romani Lineamenta; ed. alt. Trai. ad Rh., C. van den Post J^r^, 1840.
Het wisselregt in de 14de Eeuw, volgens de Consilia van BALDUS, eene bijdrage tot de geschiedenis der regtsgeleerde Dogmatiek, Amsterdam, Joh. Muller, 1840.
Redevoeringen van ESAIAS TEGNÉR, uit het Zweedsch. Utrecht, C. van der Post J^r^, 1840.
Verhandeling over de leer van de Obligatio Naturalis in het Romeinsche Regt, in: Nederl. Jaarboeken voor Regtsgeleerdheid en Wetgeving, VII, bl. 529.
Voorstel (16 April, 18 Mei, 15 Junij 1846) in het Instituut over eene wijziging van art. 927 van het Burgerlijk Wetboek, in: Jaarboek van het Instituut, 1847, bl. 127.
De vita I. R. DE BRUEYS V. Cl. Narratio, in: Utrechtsche Studenten-Almanak van 1849.
Het Nederlandsche Faillitenregt, volgens het derde boek van het Wetboek van Koophandel, wetenschappelijk verklaard. Utrecht, van der Post Jr, 1850.
Commentatio de consilio sapientis et de transmissione actorum, Amstelod. Vergl. Jaarboek van het Instituut 1851, bl. 67.
Geschied- en Regtskundige Verhandelingen, Utrecht, van der Post Jr, 1851, behelzende:
Geschiedenis en overblijfselen van Pisa.
Over de Judsche wet.
Over Wisby en het Wisbysche zeeregt.
Over de Tabula Amalfitana.
Oude Zeeregten in Dantzig, medegedeeld door Mr. A. C. HOLTIUS, in: Nieuwe Bijdr. voor Regtsgel. en Wetg. III, bl. 5.
Het Wisbysche Zeeregt, en de kritische uitgave daarvan in het Corpus Juris Suevo-Gothorum antiqui, van Dr. C. J. SCHLYTER, Lund. 1853, in: Nieuwe Bijdr. voor Regtsgel. en Wetg. IV, bl. 417.
Drie verhandelingen in de werken de l'Académie de legislation de Toulouse:
De Iure Gentilitio Romanorum, tome III.
De Praesumtione Muciana, tome VI, 2.
Mémoire sur la maxime: *dies interpellat pro homine*, l. l. — Vertaald opgenomen in de Nieuwe Bijdr. voor Regtsgel. en Wetg. XII, 1862, bl. 250.

Over de voortduring van het Lombardische Regt in Italië, naar aanleiding van twee plaatsen uit het Stadregt van Milaan van 1206, in: Nieuwe Bijdr. voor Regtsgel. en Wetg. VI, bl. 225.
Over de voordragt van den heer R. C. BAKHUIZEN VAN DEN BRINK, over de *Hollandsche achterleenen*, in: Verslagen en Mededeelingen der Koninkl. Akademie van Wetenschappen, afd. Letterkunde, II, bl. 149.
Voorlezingen over handels- en zeeregt van A. C. HOLTIUS, uitgegeven door B. J. L. DE GEER VAN JUTFAAS, 3 deelen. Utrecht, Kemink en Zoon, 1861.

INDEX SCRIPTORUM,

QUAE EDIDIT

IANUS ACKERSDYCK.

Quaestiones Iuridicae Inaugurales, Trai. ad Rh. a. d. 31 Aug. 1810.
Oratio de utilitate, quam studia imprimis historica et politica e peregrinationibus capiunt, habita a. d. 31 Decembr. a. 1825, quum in Academia Leodiensi Iuris Professionem extra ordinem auspicaretur, inserta Annal. Acad. Leod. a. 1825—1826.
Stukken uit eene reize door het Koningrijk der Nederl., in: Vriend des Vaderlands, 1828, bl. 120.
Bijdrage tot de kennis der Mac-Adamsche wegen vooral met betrekking tot de Nederlanden, l.l. 446.
Stukken uit eene reize door het Koningrijk der Nederl. Vervolg, l. l. 1830, bl. 104.
Stukken uit eene reize door het Koningrijk der Nederl. Vervolg, l. l. 1833, bl. 113.
IJzeren-spoorwegen in Frankrijk, in: Konst- en Letterb., 1834, I. bl. 44.
Spaarbank, in: Tijdschrift voor geschiedenis, oudheden en statistiek van Utrecht, 1835, bl. 168.
Bedenkingen tegen de Koренwetten, Utrecht, van der Monde, 1835.
JOHANN MARTIN HONIGBERGER, onverschrokken reiziger, in: Konst- en Letterb., 1836, I. bl. 150.
IJzeren-spoorwegen in Rusland, l. l. bl. 285.
Bijdragen tot de staatshuishoudkunde en de statistiek door Mr. G. WTTEWAALL, 1836, beoordeeld, in: Gids 1837, bl. 217.
Over het stelsel van oplage onder openbaar toevoorzigt, in: Bijdragen tot de staathuishoudk. en de statist., 1837, bl. 289.

Beoordeeling van: 1°. Staathuishoudkunde door JOZEF DROZ; 2°. Grondbeginselen der staathuishoudkunde door Mevr. MARCET; 3°. Beginselen der volkshuishoudkunde door J. B. SAY, in: Nieuwe Bijdragen tot bevordering van het onderwijs en de opvoeding, 1859, bl. 373.

Aankondiging van: *Almanak voor de Nederlandsche West-Indische bezittingen en de kust van Guinea*, in: Staatkundig en staathuishoudkundig jaarboekje, 1859, bl. 350.

Volkstelling. Bevolkingsregisters, in: het Gemeenteblad: Weekblad voor de burgerlijke administratie in het Koningrijk der Nederlanden, 1860, n°. 561 en 565.

Mouvement des idées économiques, progrès des réformes, état de la question coloniale en Hollande. Utrecht, T. de Bruyn, 1861.

INDEX SCRIPTORUM,

QUAE EDIDIT

BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN.

Dissertatio Medico-Therapeutica, de Arsenici in corpore humano effectibus eiusque usu hodie celebrato medico, praesertim ad carcinomatis curationem, Trai. ad Rh. a. d. 31 Iulii 1809.

Oratio de iis, quae cum veteres tum recentiores, imprimis Batavi et Germani, de vitae corporeae principio philosophati sunt, habita a. d. 19 Iunii 1810, quum in Academia Harderovicena Medicinae professionem auspicaretur.

Oratio de Magnetismo, qui dicitur, animali, veteribus omnino incognito, nostra demum aetate invento, si bene adhibeatur, novum fortasse physiologiae lumen et salutare Medicis remedium aliquando allaturo, habita a. d. 10 Ianuarii 1816, quum in Academia Rheno-Traiectina Medicinae professionem auspicaretur, inserta Annal. Acad. Rheno-Traiect., a. 1815—1816.

Oratio de animi fortitudine, virtute Medicis propria, maxime illa in Epidemiis conspicua, habita a. d. 26 Martii 1827, quum Academiae regundae munus deponeret, inserta Annal. Acad. Rheno-Traiect., a. 1826—1827.

Raadgevingen aan mijne medeburgers bij het naderen der cholera. Utrecht, Altheer, 1832.

Voorrede voor de Nederduitsche uitgave van het handboek der heelkunde, bewerkt door Dr. LOUIS STROMEYER. Utrecht, van der Post Jr., 1845.

Oratio de emendanda artis salubris institutione academica, legis medicae in patria nostra ferendae fundamento praecipuo, habita a. d. 26 Martii 1848, quum magistratum academicum iterum deponeret, Trai. ad Rh., apud van der Post Jr.

Redevoering over de verbetering van het geneeskundig hooger onderwijs, als den voornaamsten grond, waarop de in ons Vaderland intevoeren geneeskundige wetgeving behoort te rusten; uit het latijn vertaald en door aanteekeningen toegelicht, Utrecht, van der Post, 1848.

De geneeskundige wetsontwerpen, door de regering aangeboden aan de Staten-generaal, beschouwd door B. F. SUERMAN, oud-hoogleeraar, Utrecht, van der Post Jr., 1857.

Verslag van den Voorzitter over de geldelijke aangelegenheden in betrekking tot de behoeften van het Nederlandsch gasthuis van ooglijders, uitgebragt ter algemeene vergadering in 1861 en medegedeeld aan de heeren bestuurders en stichters. Utrecht, van de Weyer, 1861.

Open brief betrekkelijk het Nederlandsch gasthuis van behoeftige en minvermogende ooglijders, aan de genees- en heelkundigen van Nederland gerigt door Dr. B. F. SUERMAN. Utrecht, van de Weyer, 1861.

IUDICIA ORDINUM
PROMULGATA
A
RECTORE ET SENATU
ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE
DIE XXVI M. MARTII ANNI CIƆIƆCCCLXII.

IUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITT. HUMANIORUM.

Ad quaestionem propositam ab Ordine Litterario, quae haec fuit:

Amphictyonum consilii ratio et historia, exploratis scriptorum testimoniis et monumentorum indiciis, exponatur:

duae in certamen venerunt commentationes, una symbolum habens: *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci;* altera *πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ.*

Harum commentationum prior continet nudam fere recensionem praecipuorum locorum e veteribus scriptoribus excerptorum, in quibus res Amphictyonum commemorantur, simplicem quidem illam et perspicuam, at nec sermonis nitore nec doctrinae lumine nec critices facultate ita commendabilem, ut de palma contendere posset.

Maioribus laudibus se commendat altera commentatio, cuius scriptor, praeposita notitia tam scriptorum veterum qui de Amphictyonibus egerunt, quam monumentorum, in quibus indicia de iis exstant, Consilii illius origines, incrementa, constitutionem, gesta denique et fata ex antiquitatis monumentis, adhibitis recentiorum disquisitionibus, ita enarravit, ut doctrinae et iudicii laus ei non sit neganda. Neque tamen praestitit id

quod in hac quaestione flagitabatur, ut exploratis testimoniis et monumentis, examinata eorum fide, auctoritate, momento, incerta a certis, mythica ab historicis, antiqua a recentioribus diligenter secernerentur, qua una ratione effici poterat, ut Amphictyonum institutum clarius quam adhuc factum illustraretur.

His igitur perpensis, Ordo commentationis huius scriptori non aureum quidem praemium, attamen proximos huic honores assignandos decrevit. Scidula aperta nomen ostendit

IANI IACOBI CORNELISSEN,

in Academia Lugduno-Batava Litt. hum. Candidati, qui, instituta quaestione, auctorem se probavit.

Ad alteram quaestionem, quae haec fuit:

Instituatur disquisitio historica et grammatica de B. HUYDECOPERI *critica arte in tractandis libris IV, V et VI Chronici* MELII STOKII:

nullum responsum accepit Ordo.

IUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ordo Medicorum hanc proposuerat quaestionem:

Quaeritur descriptio glandulae prostatae, inprimis humanae, iconibus illustrata, penitiori etiam structura microscopio indagata, additis, quae defendi possint, consectariis physiologicis:

Ad quam unum accepit responsum, his HALLERI verbis inscriptum:

„*Difficillimum adgredior laborem et exitum vix promitto, qui lectori satisfaciat.*"

Auctor huius commentationis glandulam prostatam accurate descripsit, penitiorem ipsius fabricam subtiliter exposuit omnemque huius partis anatomen egregiis iconibus illustravit. Non nova quidem invenire ei contigit, at vero dubia haud pauca sedula pervestigatione certiora reddidit. Physiologicae, quas tractavit, quaestiones hodiernae disciplinae rationi minus respondent. Chemica, quae retulit, licet ipsius industriam testentur, parvi sunt momenti. Nec sane graviora ab extracti glandulae analysi

exspectari poterant. Quae quamvis ita sint, quum in priori eaque praecipua commentationis parte non tantum singularem doctrinae praestantiam atque iudicandi sollertiam, sed eximiam etiam indagandi peritiam abunde probaverit auctor, aureo praemio ipsum ornandum esse Ordo Medicorum decrevit.

Scidula aperta, nomen prodiit

IANI GUILIELMI SCHUIT,

in Academia Lugduno-Batava Medicinae Studiosi.

IUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ad quaestionem:

Critice exponatur, quid innotuerit de elementorum allotropia:

quatuor accepit commentationes, omnes sermone vernaculo conscriptas.

Prima, cuius symbolum est: *„ubi desunt vires, tamen est laudanda voluntas,"* de paucis tantum elementis sermonem fecit, et ipsum quaestionis argumentum non nisi leviore pede tetigit.

Secunda, distincta BERZELII verbis: *„Vielleicht ist dies eine Eigenthümlichkeit aller Grundstoffe, wiewohl sie bis jetzt erst bei einer nur kleinen Anzahl derselben wahrgenommen ist,"* quaedam quidem bonae frugis continet, et superiori antecellit fusiore argumenti expositione, sed eo etiam peccat, quod de pauciore tantum elementorum numero agit, et de Ozono adeo fuse in ea disputatum est, ut hoc caput dimidiam totius scriptionis partem contineat, neglectis contra gravioribus recentiorum de elementorum allotropia compluribus inventis.

Quibus de causis illa responsa nec praemio ornanda nec laude condecoranda esse, Ordo censuit.

Tertia et *quarta* commentatio, magna cum industria et cura conscriptae, insignem auctorum eruditionem abunde declarant, eosque in naturae studium interius se insinuasse testificantur. Quamvis haud eadem via progressi, uterque quaestionis argumentum egregie consummavit. Nam licet auctor commentationis, cui praefixa sunt verba: *Fabricando fabri fimus*, argumentum fusius pertractaverit, quam alter, qui scriptioni suae

Darwini effatum inscripsit: *„Nor do we know, how ignorant we are,"* alteram alteri minime cedere visum est.

Quum autem prioris commentationis auctor rem plene et fuse exposuerit, magnum elementorum numerum in censum vocans, et in singulis rebus describendis et diiudicandis industriam haud vulgarem et doctrinae copiam probaverit, alterius disputationis scriptor, licet breviore methodo usus, optima tamen singularum rerum cognitione ductus, succincte quidem, sed eo magis dilucide et sagaciter, quaestionis argumentum pertractaverit, atque felicem in diiudicandis observationibus singularibus interpretem ubique se praestiterit, nulla Ordini fuit dubitandi ratio, quin diversae illae utriusque commentationis dotes laudi potius quam vitio essent. Utramque itaque commentationem praemium aureum meruisse, et auctores, virtute pares, de nummo aureo sortiri oportere decrevit.

Apertis scidulis, prioris commentationis auctorem esse apparuit

IOHANNEM THEODORUM MOUTON,

alterius HENRICUM CORNELIUM DIBBITS,

illum in Academia Lugduno-Batava, hunc in Rheno-Traiectina Philosophiae Naturalis Candidatum.

Instituta autem inter auctores sortitione, nummum aureum nactus est

IOHANNES THEODORUS MOUTON.

Ad alteram quaestionem:

Sic explorentur quinque plantarum indigenarum species, ut rectius intelligatur nexus inter radicis directionem atque incrementum et soli conditionem tam physicam quam chemicam:

nullum responsum Ordo accepit.

IUDICIUM ORDINIS THEOLOGORUM.

Ad quaestionem:

Inquiratur, utrum ea, quae Christi dicta inter et facta intercedit, necessitudo eiusmodi sit habenda, ut, factis in dubium revocatis, dictorum de pretio aliquid derogetur, nec ne:

Ordo unam accepit commentationem, *Hasii* verbis insignitam: *„Das Chris-*

tenthum, nicht seinem Wesen nach, als die vollkommene und an sich wahre Religion, aber seiner Erscheinung nach, ruht auf der Auferstehung." Laudanda quidem auctoris est industria, laudanda succincta commentationis brevitas, nec universe contemnenda latinitas. Sed a conatu magis illa praedicanda industria, quam a successus felicitate. Neque enim quaestionis propositae *sententiam* ac *consilium* recte percepit, neque, uti par erat, necessitudinem, quae Christi dicta inter et facta intercedit, accurate exposuit. De IESU miraculis atque insuper de eius in vitam reditu potissimum auctor agit. Nonnulla CHRISTI uti et Apostolorum dicta affert quidem, minime vero ea rite interpretatur, neque necessitudinem, quae IESU dicta inter et facta intercedit, quod hic maxime requirebatur, *exemplis ex Euangeliis allatis et petitis*, illustrare conatus est.

Multa ponuntur, paucissima probantur. Multa quoque admiscentur aliena, nec ad rem pertinentia. Lectoris spem, fore ut subtiliore et accuratiore Euangelicarum narrationum disquisitione in ipsam quaestionem se insinuet auctor, iterum iterumque eludit disputationis, quae in rerum cortice haeret, levitas. Quum igitur quaestionis cardinem intactum relinquat, nec a dialectica nec ab exegetica nec a dogmatica facultate commendetur haec disputatio, praemio ornari non potest.

IUDICIUM ORDINIS IURISCONSULTORUM.

Ordo Ictorum ad quaestionem e iure publico propositam:

Exponatur origo iuris dispensandi, *quod vocant, sive legibus solvendi, quale tempore Reipublicae in patria nostra exstitit: notentur eius usus et abusus: dein iuris, quod hodie ex Lege Fundamentali Regi competit, ambitus et fines accurate indicentur, allatis causarum recentiorum, ab anno inde* 1815, *nonnullis exemplis*:

nullam responsionem accepit.

Ad alteram quaestionem:

Exponatur locus de causa in conventionibus, ex praeceptis tum Iuris Romani, tum Iuris Hodierni:

una Ordini responsio oblata est, patrio sermone conscripta, hoc notata symbolo: *„In magnis voluisse sat est.“* Quae disputatio, licet probabilem testetur scriptoris industriam in perscrutandis virorum doctorum de proposita quaestione sententiis, non tamen ita conscripta est, ut praemio ornari possit. Inprimis Ordini displicuit ratio, qua scriptor usus est locis iuris Romani, quorum multos, qui ad quaestionis argumentum pertinent, aut leviter nimis recensuit aut penitus neglexit. Quae negligentia eo minus fuit excusanda, quo plures exstiterunt scriptores, qui locum de causa in conventionibus aut tetigerunt aut accuratius tractarunt, inter quos GNEISTIUM, WINDSCHEIDIUM, ERXLEBIUM, BÄHRIUM, SCHLESINGERUM nominasse sufficit, quorum in scriptis praecipui loci in ordinem sunt redacti et diligentius expliciti. Nec meliora praestitit scriptor in ipsis recentiorum placitis et opinionibus exigendis. Satis accurate quidem quaesivit, quid optimus quisque, quem ad manum habuit, Iuris Romani interpres ad singulos locos docuerit, sed neque omnes interpretes praesto ipsi fuerunt, neque in eorum sententiis exponendis et diiudicandis feliciter et acute versatus est. Idem dicendum est de altera disputationis parte, in qua Iuris Hodierni praecepta exposita sunt. In ea quoque, sive rerum ratio habeatur, sive ordinis, permulta desiderantur. Accedit, quod ipsa disputandi ratio obscura saepe est et confusa, oratio autem adeo inculta et vitiosa ut lectori prorsus displiceat.

Et his quidem de causis Ordo, etsi dolenter, huius scriptionis nullam rationem haberi posse iudicavit.

ACTA IN SENATU

A. CIↃIↃCCCLXI—CIↃIↃCCCLXII,

RECTORE MAGNIFICO IACOBO ADOLPHO CAROLO ROVERS.
GRAPHIARIO IACOBO ANTONIO FRUIN.

Die 22 m. Martii. Ex Curatorum decreto in hunc diem constitutum est Academiae festum. Rector Magnificus, GUILIELMUS GEORGIUS VREEDE, a Senatu Amplissimo in Cathedram ductus, Orationem habet *de Iuris publici et gentium praeceptis a liberae Europae Civitatibus adversus vim ac dolum potentiorum fortiter tuendis:* Academiae fata enarrat, et quaestiones a singulis Ordinibus propositas promulgat, tandemque Magistratum deponit et successorem sibi a Rege datum renunciat Virum Clar. I. A. C. ROVERS.

Ex Curatorum decreto declarantur:
Senatus Graphiarius: Vir Clar. I. A. FRUIN,
Assessores:

Ex Ordine	Medicorum	Vir Clar.	L. C. VAN GOUDOEVER,
〃	Mathematicorum	〃	M. HOEK,
〃	Theologorum	〃	B. TER HAAR,
〃	Iurisconsultorum	〃	G. G. VREEDE.

Die 30 m. Martii. Senatus luget obitum Viri Clar. ADRIANI CATHARINI HOLTIUS, in Facultate Iuridica Professoris Emeriti, die 29 m. Martii vita defuncti.

Die 17 m. Iunii. Quum Senatus Amplissimus decreverit publice celebrare annum Academiae natalem ducentesimum vicesimum quintum et placuerit Senatui summos in variis disciplinis honores conferre in septem viros, doctrina et scriptis insignes, hoc die summi illi honores in Auditorio maiore collati sunt

in Facultate Phil. Theor. et Lit. Humaniorum.

in Virum Clarissimum, Gravissimum GREGORIUM MEES ADRIANI fil., in tribunali Roterodamensi iudicem, olim in Illustri Daventriensium schola Professorem, et
in Virum Eruditissimum HERMANNUM NEUBRONNER VAN DER TUUK, Societatis, quae libros sacros propagandos curat, delegatum;

in Facultate Medica

in Virum Amplissimum GERARDUM FRANCISCUM POP, Medicorum Militarium Classis Nederlandicae Praefectum;

in Facultate Mathes. et Phil. Naturalis

in Virum Amplissimum ISAÄCUM PAULUM DELPRAT, Tribunum militum, ad populi Comitia delegatum;

in Facultate Theologica

in Virum plurimum Venerandum BERNARDUM GLASIUS, Euangelii in coetu Gertrudisbergensi Interpretem, et
in Virum plurimum Venerandum CHRISTIANUM GERARDUM MONTIJN, Euangelii in coetu Traiectino Interpretem;

in Facultate Iuridica

in Virum Amplissimum GUALTHERUM HOLTIUS, Regi Augustissimo a consiliis, olim actis publicis insinuandis praefectum.

Quos honores postquam Rector Magnificus Doctoribus gratulatus est, horum nomine Senatui gratias egit Vir Clar. Grav. G. MEES. Tum Rector denuo dicendi partes suscipiens Academiae cives adhortatus est, ut in literarum doctrinarumque studia naviter incumberent, exemplo iis proposito ALEXANDRI CAROLI GUILIELMI SUERMAN, ante quinque lustra egregii huius Academiae decoris et ornamenti.

Die 26 m. Iunii. Recitantur literae Curatorum, quibus cum Senatu communicant, Virum Eruditissimum MARCUM ABRAHAMUM EMILIUM ROBERTI ornatum esse titulo Literarum Francicarum in hac Academia Lectoris.

Die 1 m. Iulii. Legitur Curatorum decretum diei 15 m. Iunii, quo Viro Clar. G. I. MULDER adiutor in laboratorio Chemico adiungitur HENRICUS CORNELIUS DIBBITS, Matheseos et Philosophiae Nat. Candidatus.

Die 13 m. Iulii. Senatus luget obitum Viri Clar. IANI ACKERSDYCK, in Facultate Iuridica Professoris Emeriti, eo ipso die vita defuncti.

Die 20 m. Decembris. Leguntur literae Curatorum, quibus Senatus certior fit, ex decreto die 29 m. Novembris Viris Clar. LONCQ, C. I. fil. et VAN GOUDOEVER adiutores in rebus Clinicis datos esse Viros Doctissimos MARINUM IMANS et FRANCISCUM VERHOEFF.

Rector ad Senatum defert, se et Senatus Graphiarium die 8 m. Decembris Viro Clar. H. E. VINKE gratulatos esse de munere professorio per quinque lustra strenue gesto.

Die 13 m. Februarii. Senatus luget obitum Viri Clar. BERNARDI FRANCISCI SUERMAN, in Ordine Medicorum Professoris Emeriti, die 11 m. Februarii vita defuncti.

Die 21 m. Febr. Designantur quatuor viri, e quibus a Rege Augustissimo in proximum annum Rector Magnificus eligatur:

Ex Ordine	Medicorum	Vir Clar.	G. I. LONCQ, C. I. fil.
"	Mathematicorum	"	C. H. D. BUYS BALLOT.
"	Theologorum	"	I. I. DOEDES.
"	Iurisconsultorum	"	I. A. FRUIN.

Designantur etiam quatuor viri, e quibus Senatus Graphiarius eligatur:

Ex Ordine	Literatorum	Vir Clar.	H. C. MILLIES.
"	Medicorum	"	G. I. LONCQ, C. I. fil.
"	Mathematicorum	"	M. HOEK.
"	Theologorum	"	I. I. DOEDES.

Assessores constituuntur:

Ex Ordine	Mathematicorum	Vir Clar.	F. A. G. MIQUEL.
"	Theologorum	"	H. E. VINKE.
"	Iurisconsultorum	"	I. A. FRUIN.
"	Literatorum.	"	G. G. BRILL.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE

ANNUS NATALIS DUCENTESIMUS VICESIMUS QUINTUS.

DICTA

IN

AUDITORIO MAIORE

D. XVII M. IUNII A. CIↃIↃCCCLXI,

QUUM PUBLICE DOCTORES HONORIS CAUSA RENUNCIARENTUR.

16

IACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS,

RECTORIS MAGNIFICI,

SERMO,

INSERTIS PROMOTORUM VERBIS

ET

RESPONSO

VIRI GRAVISSIMI

GREGORII MEES ADRIANI FIL.,

DOCTORUM NOMINE SENATUI GRATIAS AGENTIS.

QUOD FELIX FAUSTUMQUE

ESSE IUBEAT DEUS OPTIMUS MAXIMUS.

SALVETE, OMNIS ORDINIS ET LOCI AUDITORES EXOPTATISSIMI. PLURIMUM SALVETE, QUICUMQUE ACADEMIAM RHENO-TRAIECTINAM ALMAE MATRIS NOMINE COLITIS. VOS IN PRIMIS SALVETE, VIRI ERUDITISSIMI, AMPLISSIMI, SUMMIS EX SENATUS ACADEMICI DECRETO HONORIBUS ORNANDI, QUORUM PRASENTIA NOS NON TANTUM ADMODUM DELECTAT, SED ETIAM IN HUNC COEGIT LOCUM.

Senatum Academicum rogarunt Curatores, Viri Amplissimi, num, praeeunte Magistratu urbano, ipsi quoque placeret publice celebrare annum Academiae natalem ducentesimum vicesimum quintum. Censuimus, hunc annum a nobis ea maxime celebrandum esse ratione, ut nec quidquam fieret eorum, quae festis congruerent secularibus, et, quod fieret, tum dignum Senatu tum Academiae honori esset. Iam vero mementote, Auditores, praeclarum illud ius, quod regium de institutione superiore decretum unicuique tribuit Senatui Academico, ius dico offerendi honores et titulum Doctoris civibus et exteris de sua cuiusque disciplina optime meritis. Profecto haud miramini, nobis continuo in mentem venisse illos honores conferre in viros doctrina et scriptis insignes. Porro visum est hos rogare, ut nobis liceret non mittere Diplomata ad absentes, sed praesentes coram lectissima virorum Amplissimorum civiumque Academicorum corona salutare et ea, qua deceret, honoris significatione prosequi. Quod Senatui placuit, non displicuit praestantissimis, qui in Doctorum numerum

reciperentur, viris; quorum si duo ab his sollennibus absunt, iustissimam attulerunt absentiae suae causam. Est sane quod illis gratias agamus, qui in vita occupatissima eaque aetate, qua aut exstinctum est aut certe deferbuit vanum gloriae studium, in hoc Auditorium convenire non detrectarint. Sed gratias etiam agimus Academiae Curatoribus, qui, quum acceperant, Professores nonnullos dierum festorum memoriam scriptis suis consecraturos esse, [1]) non modo hoc consilium vehementer probarunt, verum ipsi etiam in horum sollennium memoriam ex reditibus Academicis Bibliothecam nostram splendidis in vario doctrinae genere operibus locupletandam esse censuerint. Est hoc, si quid video, dignum Academiae Curatoribus decretum.

Sed, ut in rem praesentem veniamus, decrevit Senatus Academiae Rheno-Traiectinae, exactis a condita Academia lustris quinque et quadraginta,

Doctores honoris causa creare,

in Facultate Philosophiae theoreticae et Literarum humaniorum,

virum Clarissimum Gravissimum GREGORIUM MEES ADRIANI fil., in Tribunali Roterodamensi iudicem, olim in Illustri Daventriensium schola Professorem, et

virum Eruditissimum HERMANNUM NEUBRONNER VAN DER TUUK, Societatis, quae libros sacros propagandos curat, delegatum:

in Facultate Medica,

virum Amplissimum GERARDUM FRANCISCUM POP, Medicorum militarium classis Nederlandicae Praefectum:

in Facultate Matheseos et Philosophiae naturalis,

virum Amplissimum ISAÄCUM PAULUM DELPRAT, Tribunum militum, ad populi Comitia delegatum:

---

[1]) Q. HORATIUS Flaccus. *Een blik op zijn leven, zijne studien en dichtwerken door* S. KARSTEN.

CARTESIUS. *Een redevoering, te Utrecht uitgesproken door* Mr. C. W. OPZOOMER.

Le Képhalographe. Nouvel instrument destiné à déterminer la figure et les dimensions du crâne ou de la tête humaine, par P. HARTING.

Prodromus systematis cycadeorum. Edidit F. A. GUIL. MIQUEL.

De Saksers voor en onder Karel den Groote. Inleiding tot eene Regtsgeschiedenis van het door hen bewoonde gedeelte onzes Vaderlands door Mr. B. I. L. DE GEER VAN JUTFAAS.

in Facultate Theologica,

virum plurimum Venerandum BERNARDUM GLASIUS, Euangelii in coetu Gertrudisbergensi Interpretem, et

virum plurimum Venerandum CHRISTIANUM GERARDUM MONTYN, Euangelii in coetu Traiectino Interpretem:

in Facultate Iuridica,

virum Amplissimum GUALTHERUM HOLTIUS, Regi Augustissimo a consiliis, olim actis publicis insinuandis praefectum.

Promotores autem a singulis Ordinibus designati sunt hi:

ex Ordine Literatorum vir Clar. KARSTEN,

ex Ordine Medicorum vir Clar. LONCQ, C. I. fil.

ex Ordine Mathematicorum et Physicorum vir Clar. R. VAN REES,

ex Ordine Theologorum vir Clar. TER HAAR,

ex Ordine Iurisconsultorum vir Clar. FRUIN.

Vos igitur, Collegae aestumatissimi, ut iura et titulum Doctoris in praestantissimos viros sollenni ritu conferatis, rogatos velim.

Verba Clar. KARSTEN.

„Quid mihi aut dulcius aut honorificentius contingere potuit, quam quod hodie ab Ordine Literario mihi mandatum est, ut in duos viros ingenio et doctrina spectatissimos summos in Literis honores conferam. Quorum ut primum te compellem, GREGORI MEES, te non ignotum nostra salutat Academia. Te quondam alumno gloriabatur haec Alma Mater, quum Academia regia Bruxellensis commentationem a te iuvene in certamen missam lauro ornaret. Te novit Societas Artium et Literarum Rheno-Traiectina, quae multis ante annis Dissertationem tuam de LAMBERTO HORTENSIO *Historico* aureo nummo decorandam censuit. Quid cetera memorem, quibus tam de Academicae iuventutis institutione, quam de patriis Literis praeclare promeritus es? Coronam meritis illis imposuisti, edendo volumine non nomine tantum sed revera Atlanteo [1]), quod ut absolvere tibi contingat, faxit Deus. Tu ergo quum rarum sis exemplum

---

[1]) *Historische Atlas van Noord-Nederland door* Mr. G. MEES, *in vijftien Afleveringen:* 1—11 *Afl.* 1840—1860.

ex eo genere eruditorum, qui pari studio Minervae et Themidis cultum consociant, quid gratius Academiae nostrae esse potuit, quam ut tibi, quem ante triginta amplius annos hoc ipso in loco legitime Iuris Romani et Hodierni Doctorem renunciavit, nunc honorifice Literarum Doctoris titulum offerret?

Accipe benevolo animo hoc honoris documentum, quod iam dudum tuae virtuti debitum, nunc Senatus Academicus tibi impertit.

Quod igitur felix faustumque esse iubeat Deus Optimus Maximus. E potestate, ab Augustissimo Rege nobis concessa, ex auctoritate Rectoris Magnifici, et Amplissimi Senatus Academici decreto,

Ego SIMON KARSTEN, Philosophiae theoreticae Magister Literarum humaniorum Doctor, et in hac Academia Professor Ordinarius, Te GREGORIUM MEES ADRIANI fil., Philosophiae theoreticae Magistrum Literarum humaniorum Doctorem honoris causa dico, renuncio, proclamo.

Do Tibi et in Te confero omnia iura et privilegia quae rite creato Philosophiae theoreticae Magistro Literarum humaniorum Doctori lege vel moribus tribui solent. Qualis, rite creatus Philosophiae theoreticae Magister Literarum humaniorum Doctor, ut ab omnibus agnoscaris, ex eadem Regis Augustissimi potestate iubeo, mando.

Quam vellem hic quoque praesentem salutare mihi liceret virum eruditissimum HERMANNUM NEUBRONNER VAN DER TUUK, non vetere quidem necessitudine at singulari virtute et doctrina huic Academiae notum atque carum. In illum dici potest quod de ULYSSE suo praedicat HOMERUS: *qui mores hominum multorum vidit et urbes:* qualium autem hominum? qualium populorum? non eorum, qui vitae cultu et humanitate exteros ad se alliciunt, sed talium, qui morum feritate et immanitate advenas deterrent et a se repellunt. Te norunt Indici Oceani orae et insulae inhospitales, quas cum vitae periculo adiisti, non ut ebur et aurum, non ut odores et aromata inde asportares, sed ut ultimarum nationum linguas edisceres, explicares et necessitudinem indagares, quae illis vel inter se vel cum exteris linguis tam vivis quam mortuis intercedat. Arduum profecto opus atque gloriosum, vel potius dicam fructuosum, quo scilicet via

aperitur ad feroces populos emolliendos et sanctae religionis praeceptis institutisque excolendos. Quaenam autem Academia lubentius te in consortium suum reciperet quam ea, quae ante viginti quinque annorum lustra cathedram hic obtinentem vidit ADRIANUM RELANDUM, virum egregium, qui ingenii sagacitate et scientia linguarum utriusque Indiae seculo suo praeluxit, quique fundamenta iecit eius aedificii, cui tu iam fastigium impones."

PROMOTIONIS FORMULA.

Verba Clar. LONCQ, C. I. fil.

„Qui rei medicae maritimae in patria nostra praefectus es, Amplissime POP! Priusquam ex Senatus Academici decreto summi in te conferantur honores, iureiurando te adstringi oportet ad artem medicam rite, id est, humaniter et legibus accommodate factitandam. Ipse iurisiurandi formulam recitabo. Tu audi et tecum reputa, num illud iurare possis:

Testor Deum omnipotentem, me in curandis aegris diaetam aliaque remedia, quantum ingenii viribus assequar, ex artis regulis ad aegrotantium salutem et commodum commendaturum, nec prece nec pretio aliave de causa pharmacum noxium cuiquam propinaturum, nec gravidae abortum procuraturum: audita vel visa inter curandum, nisi Reipublicae ea efferri intersit, silentio oppressurum: in examine autem forensi ad iudicem fideliter relaturum, quid actum quid repertum sit, et de indole mali ex animi sententia religiose pronunciaturum: et in his omnibus pietati, honestati et conscientiae operam daturum.

Haec si sincere praestitero, nec sciens fefellero, felix mihi per Deum vita et ars esto!

Tu, vir Amplissime, ita iurare si non graveris, duobus prioribus dextrae digitis sublatis, alta voce, pia mente haec verba repetas:

Ita me Deus iuvet!

Praestito iurerurando, recitata est Promotionis formula.

Hisce feliciter peractis, vir Amplissime, ego omnium primus novos honores tibi gratulor. Non artis tantum peritia, non usus ac doctrinae

fama, sed opera tua praeclara, sed singularis animi vigor, sed prudentia et vero constantia, qua patriae prodes, Senatum ad hos honores tibi offerendos commoverunt. Tu de rebus maritimis, quae medicinam spectant, quam optime meruisti. Tuis auspiciis, quidquid militum sanitati prospicere possit, nisi constitutum, certe emendatum atque perfectum est. Tu medicorum, quibus praefectus es, ingenia foves, industriam alis novoque instituto artem fructuosam reddis. Tu reconditos in chartis scientiae thesauros, illustri sane exemplo, primus deprompsisti, notabilia promulgasti, varia omnino ratione civitatis disciplinarumque commodum promovere studuisti. Si quis alius, tu profecto summis in Medicina honoribus dignus es. Augeat titulus in te collatus muneris tui splendorem, firmet tuam ipsius auctoritatem, excitet omnes, qui tuo moderamine patriae prosunt!"

Verba Clar. R. VAN REES.

PROMOTIONIS FORMULA.

„Impense gaudeo, Amplissime DELPRAT, festo hocce die Mathematicorum et Physicorum Ordini opportunitatem datam esse te in Doctorum suorum numerum recipiendi. Ut enim plerique nostrum te amicum salutant, ita ob singularem tuam tam doctrinarum mathematicarum quam rei militaris peritiam iure ab omnibus magni haberis. Quibus artibus ut diu incolumis patriae doctrinisque prodesse possis, ex animo optamus."

Verba Clar. TER HAAR.

„Salvete, viri plurimum Venerandi, summos in Theologia mox consecuturi honores! Quod Senatus Academici decretum uti vobis honorificentissimum est, sic mihi quoque periucundum esse credite sollenni hac hora Promotoris vices agere. Quid, quod uterque de illa theologicae disciplinae parte optime meriti estis, quam ego semper in deliciis habui, cuiusque publice tradendae mihi mandata est provincia?

Tu, plurimum Venerande GLASIUS, per longam annorum seriem indefesso labore in studia historica incubuisti, variisque operibus te germanum ROYAARDSII, quem tu maximi fecisti, ut te ille magni fecit, discipulum probasti. Accipe iustam diuque tibi debitam meritorum remunerationem.

PROMOTIONIS FORMULA.

Tu, plurimum Venerande MONTYN, iuvenis adhuc in hac Musarum sede, quum e certamine literario victor decederes, laurea ornatus es, et quominus, Academico stadio atque examine doctorali feliciter peractis, iam tum summos in Theologia honores capesseres, impedivit muneris Ecclesiastici, mature tibi oblati, dignitas et gravitas. Tu ditissimos Historiae thesauros in literatorum atque illiteratorum usum aperuisti. Nunc Facultas Theologica, approbante Senatu, Theologiae Doctoris gradu ac titulo te ornare constituit.

PROMOTIONIS FORMULA.

Salvete iterum iterumque salvete, viri Doctissimi! Collatos in vos honores vobis ex animo congratulor. Hunc ipsum festum diem vobis novo veluti stimulo atque incitamento fore ut iuvenili quodam ardore ad vitae usque metam in literas et studia incumbere pergatis, pro certo habeo et confido. Te utrumque Deus diu salvos atque incolumes conservet in magnum coetuum vestrorum emolumentum! Talibus, quales in vobis invenit, alumnis semper gloriari pergat haec vestra Alma Mater, Academia Rheno-Traiectina!"

Verba Clar. FRUIN.

"Valetudinis causa abest vir Amplissimus GUALTHERUS HOLTIUS. In absentem tamen summos ex Senatus decreto conferre honores mihi mandavit Iurisconsultorum Ordo.

PROMOTIONIS FORMULA.

Novi doctoris merita quid ego extollam, quae peritis omnibus nota sunt et maximi aestimantur. Quis enim ignorat, HOLTIUM fuisse primum inter nostrates, qui actorum insinuandorum munus ex opificio ad artem evexerit et doctrinae ratione excoluerit? Quare quod in diplomate scriptum est, illum tam eruditione et meritis quam gestis muneribus clarum esse, id consentienti omnium intelligentium iudicio comprobabitur.

Absenti gratulari non possum. Academiae vero huic gratulor, quae talem virum ornando semetipsam ornavit, et simul memoriam recoluit viri, qui per longum annorum spatium ipsi ornamento fuit, cuiusque veluti imaginem ingenii ac doctrinae repraesentat frater honoratissimus: memoriam dico viri desideratissimi ADRIANI CATHARINI HOLTIUS."

Verba Rectoris ad Doctores.

Peracta sunt sollennia, quorum si tum vobis, carissimi quondam mei condiscipuli MEES et MONTYN, tum vestri honoris sociis suavissimam memoriam exopto, plurimum abest ut nihil ultra in votis sit. Huius Academiae nomine vobis, viri Doctissimi, vitam exopto corporis animique bonis ita cumulatam, ut diu suam cuique disciplinam tueri concedatur. Sunt sane in hac luce disciplinarum permulta, quibus impense delectemur; sunt quoque *ἀνεμιαῖα* quaedam, opinionum commenta, pluris fieri solita quam revera sunt. Quod si probare vellem, vestris ingeniis iniuriam facere censerer. Sed, ut vestra quoque solertia et eruditione *illa* roborentur, *haec* autem ex vero aestimentur et naturae iudiciis cedant, vehementer opto. Consiliis studiisque vestris annuat summum Dei Numen!

Doctorum nomine Senatui gratias agit Graviss. MEES.

„Hisce sollennibus, moderante Rectore Magnifico, rite peractis, liceat mihi, viri Clarissimi, vos perpaucis verbis, etiam collegarum Doctorum nomine, compellare: perpaucis dico verbis, quae tamen vereor ne barbariem quandam redoleant, quippe qui per triginta amplius annos latino non sim usus sermone. Quod, quaeso, ignoscatis, viri Clarissimi. — Gratias vobis agimus magnas, immo maximas pro insigni illo in nos collato honore. Sunt inter nos, quibus contigit in hac Musarum sede frui institutione Academica. His prae ceteris magni pretii ille honos habetur. O, quam grata hîc BRUEYSII, ARNTZENII, HEUSDII praesertim me subit recordatio, qui qua erat humanitate omnes in auditorium suum allicere solebat. Verum, viri Clarissimi, cum collato honore gravissimum simul onus humeris nostris imposuistis. Iam in disciplinis novi quid a nobis praestandum, novo atque iuvenili ardore laborandum est, oleum emendum, in studia denuo incumbendum. Quod reliquum est, Rectori et Promotoribus, viris

Clarissimis, pro moderamine et pro insigni benevolentia grates agimus. — Iam pauca pro me ipse loquor. Nonne inter te et me, IACOBE ADOLPHE CAROLE ROVERS, necessitas fuit a puerilibus inde annis? Numquam refrigescat haecce nostra amicitia, maneat usque in seram senectutem, quam hilarem, iucundam, honorificam tibi reddat summum Dei Numen! — Sed iam verborum satis. Unum solvendum superest votum. Vivant Amplissimi Curatores, Professores et Lectores. Vivat et floreat generosa iuventus, almae huius Academiae alumni. Vivat, floreat, crescat, sub regis Augustissimi auspiciis, Academia Rheno-Traiectina. Ita faxit Deus Optimus Maximus, imo ex pectore precor.

Interposito musico concentu, Rector denuo dicendi partes suscipit.

Honorificum est, Academiae Rheno-Traiectinae alumni, ob eam doctrinae praestantiam, quae notissimae formulae fines egreditur, a peritissimo quoque laudari. Hoc ut penitus sentiretis, senatus Academicus praesentiae vestrae tantum tribuit, quantum tribui plurimum potest. Festos nobis dies paratis. Venient cives et hospites in communionem gaudii, quo pompa vestra, locuples illa elegantiae studiique testis, et concentus musici praestantia animos nostros perfundent. Sed haec, quamquam spe et exspectatione suaviora fore auguror, nunc tamen, etsi invitus, praetermitto, mentionemque eorum, quibus tum de vestra tum vero de magistratus urbani in Academiam voluntate constat, in eum differo diem, quo Rectoris munus successori tradam. Nam hac hora et in hoc Auditorio Academico ea prudentissimo cuique menti obversantur, quorum commemoratio neque differri ulla ratione potest nec premi silentio debet. Horum me interpretem et Vos et Auditores cuncti benevolis animis audiatis.

Annus agitur ab alteris Academiae secularibus quintus et vicesimus. Quid haec quinque lustra docuerunt rerum Academicarum haud ignaros pauloque diligentius in studia inquirentes Academiae alumnorum? Aut fallimur aut maximam partem confirmarunt ea, quae nos olim, aetate florentes, a maioribus natu accepimus, praestantissimos in civitate viros tantum non omnes firmissimis niti, quae in Academia iecerint, fundamentis. Haec qualia sint, si singillatim exponerem, citius me tempus de-

ficeret quam dicendi argumentum. Itaque ad praecipua capita revocare omnia conabor.

Ac primum quidem ii, quos significo, viri *Academiae cives* flagrabant discendi ardore. Lepores istos: *cui bono? quantum sufficit ad probationis publicae difficultates superandas, ad panem aliquando quaerendum? ubi praesto sunt, qui singulos cibos perite praeparent leniterque mollitos in os immittant?* huiusmodi delicias ne in somnis quidem cogitabant. Venerant in hanc Musarum sedem ad discendum. Huius consilii numquam immemores, discere avebant a praeceptoribus, a commilitonibus diutius in doctrinarum studio versatis, ab optimorum librorum scriptoribus, quos accurate legentes et tum inter se tum cum iis, quae aliunde acceperant ipsique meditati erant, conferentes, suam ipsi *αὐτουργίαν* alebant. Disciplina, cui se tradere et in qua aliquando habitare decreverant, primo iis praecipuoque loco erat. Alias eius partes aliis sive praeferentes sive non omnino aequiparantes, nullam tamen parvi faciebant, statuentes quippe arctum esse omnium vinculum et alteram alterius ope aegre carere. Tritum illud: „omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur:" modeste sequi et, quantum fieri poterat, studiis suis exprimere conabantur. Aureum civium Academicorum genus, quod pondere censetur, non numero, et unum omnium maxime comparatum est ad Academiam peritorum omnium laude ornandam!

Sed referre pergo de praestantissimorum virorum in Academia consilio. Fuit hoc eiusmodi, ut non tantum ex variis doctrinis, verum etiam ex variis temporibus se proficere studerent. Quod quantam vim habeat quantumque conferat ad iudicandi integritatem, dici vix potest. Nemo prudens dubitat, quin nostra aetate eximii in nulla non doctrina facti sint progressus. Hos si suspicimus et amplectimur, quis non vehementer laudabit? Sed si eos ita fovemus et osculamur, ut tempora praeterita alto supercilio despiciamus, num laude digni sumus? At vereor equidem, ne haud pauci se ad despiciendi facilitatem abripi patiantur. Verba valent usu. Iam quem sensum paulatim tribui apparet verbis *scientia nova?* Haec numquamne eo et vultu et habitu pronunciari audivistis, ut paene misereret vos ignorantiae et imbecillitatis — non dico Graecorum et Romanorum, —

sed maiorum, sed patrum vestrorum, sed ipsorum adeo aetate provectiorum, quos quotidie videtis ab aliis temporibus nonnihil bonae frugis expetentes? Verum despicientia illa num aequa est? num vindicat in libertatem, an potius ex alia auctoritatis schola in aliam detrudit? Praeterea quae nova feruntur, suntne omnia nova, an interdum, quod in lautiorum hominum supellectili, in feminarum vestibus et comptu, in barbae adeo ad summam elegantiam conformatione fieri constat, ut vetera novo nomine ornata in integrum restituantur, id hîc quoque animadvertitur? Quae autem revera novitatis gratia splendent, nihil quidquam praeparationis nacta sunt? nulla sui indicia utut tenuia, dudum ante patefecerunt? non lento gradu, ut fieri in rebus gravioribus solet, progressa in lucem eruperunt? Et, hoc si negandum videtur, integri tamen sunt illi foetus, atque Palladis instar, armatae ex Iovis capite prodeuntis, ad spem immortalitatis nati? Quid plura? Animadvertitis, quo tendam. Excellentissimi, qui vos praecesserunt, alumni varias et gentes et aetates sibi adeundas, sapientiam omnino seculorum plurimi faciendam esse censuerunt, ab antiquitate non minus quam ab aevo medio disci posse putarunt, salutemque non in expeditionum ALEXANDRI, sed in rerum humanitatis, quarum illae pars sunt, notitia positam esse crediderunt. Hinc, cuicumque doctrinae operam navarent, praesidia petierunt ad recentissima quaeque intelligenda et diiudicanda.

Tempus monet, ut absolvam de iis, quibus meliore luto finxit praecordia Titan. Itaque, quamquam ne terram quidem video, vela contraham et statim afferam, quod procul dubio est gravissimum. Ipsam illorum alumnorum vitam volo. Fuit haec honestissima. Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa, hunc murum aheneum putabant. In amabili iuventutis hilaritate *horam ruere* meminerant. Pulchri, veri, sanctique amore flagrantes et cognitione sui eo modestiores, quo magis recti cultu pectora roborabant, tales se praebebant, qui accepti hominibus, accepti Deo essent. Ita ingenio animoque exculti Almam Matrem reliquerunt, quum tamquam in cursu erant, ut, quaecumque aliquando mente volverent, haec perite, strenue honesteque exsequerentur.

Nostis fundamenta ab iis commilitonibus iacta, quibus gloriari non desinit Academia. Videnturne haec vobis firmiora quam ut iuvenili aetate poni

possint? Quid dubitatis, iuvenes Nederlandici, ex ipsis sedibus vestris intuentes in avitum Academiae symbolum, in Solem illum Iustitiae, qui vos illustrare gestit! In vestro Ordine nondum desunt, qui maiorum instar summa ope nituntur, domum ut rupe superstruant. Sed vultis exempla, quibus dictorum fides confirmetur. Haec unde petam? Ab iis, qui his quinque lustris ex Academiae spatiis in vitam publicam traducti, partes suas fortiter et cum bonorum omnium approbatione agere coeperunt, quorumque nonneminem hîc adesse suspicor? Puderet me tantae impudentiae, ut quemquam eorum, qui hac vitae luce fruuntur, in os laudarem. Itaque instantibus vobis et urgentibus alio modo satisfaciam et persuadebo.

Alteris Academiae nostrae secularibus, interfui sollennibus illis, quibus *more maiorum* et alii egregii iuvenes Doctores sunt creati et Matheseos Magister Philosophiae naturalis Doctor renunciatus est ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS SUERMAN. Hic, filius SUERMANNI nostri natu minor, aetatis anno sexto decimo civibus Academicis adscriptus est *Medicinae Studiosus.* A puero, auctore patre, optime institutus continuo probavit, se, quod vellet, velle fortiter. Sed quid vellet, multos commilitones latebat. Nam futurus Medicus nemini cuiquam cedebat amore Literarum humaniorum et disquisitionibus philosophis valde delectabatur. HEUSDIUM et SCHRÖDERUM — cara mihi nomina — impense colebat. Utriusque tam in privatis quam in publicis scholis discipulus assiduus, sollertissimus dilectissimusque erat. In poetis, historicis et oratoribus Graecis, in PLATONE adeo ne hospes esset, diligenter cavebat. Sic licet ad HIPPOCRATEM interius aliquando intelligendum nonnihil proficeret, multas tamen bonas horas consumere in alienis censebatur. Sed quid facias — lepide aiebant acutiores — iuvene optimis a natura virtutibus praedito, cuiusque insatiabilis est discendi sitis? — Cum humanitatis disciplina SUERMANNUS coniungebat studium disciplinarum physicarum. In has autem tanto incumbebat ardore, iis ut totum se penitusque traditurus esse videretur. Quamquam, qui eum probe norant, se haud scire dixerunt, an tum iam suspicaretur Hippocraticae apud PLATONEM [1]) sententiae auctoritatem: „nemo veri nominis Medicus

[1]) *Phaedr.* C. 54.

est sine universi cognitione" [1]). Quidquid est, praeceptoribus admirationi erat eaque crevit, scripta a iuvene viginti annorum praeclara illa de *hygrometris* commentatione, quae non tantum in certamine Leidensi praemium reportavit, verum etiam exteros nacta est laudum suarum praecones [2]). Interea ad Medicinam accesserat, numquam disciplinarum varietate impeditus. Hîc quoque lente festinabat, progrediebatur firmiter, BACONIS, cuius scripta plurimi faciebat, quemque ipse affirmavit naturae locutum esse non hominis voce, BACONIS igitur tamquam amici fidissimi monito roboratus: „homo, naturae minister et interpres, tantum facit et intelligit, quantum de naturae ordine re vel mente observaverit, nec amplius scit aut potest" [3]). A me, commilitones optimi, harum rerum imperito, haud postulatis, ut, quibus gradibus, quo laudatissimorum praeceptorum auxilio, qua naturae sciscitandae diligentia SUERMANNUS ὁ φιλαλήϑης ad egregiam Medici speciem tetenderit, vel obiter exponam. Hoc peritorum iudicum auctoritate affirmare praestat, eum, nisi regia illa via progressum, ad summos in Medicina honores consequendos haud scripturum fuisse Specimen illud Historico-Medicum *de Cholerae Asiaticae itinere per Belgium Septentrionale* a°. 1832—1834. Nam, ut historia Epidemiarum, quae et gentium et ipsius humanitatis historiae nexa est, in difficillimis censetur doctrinae Medicae argumentis, ita ad Cholerae historiam accurate enarrandam anno 1835 viam tantum non praecludebant ingens hypothesium confusio et vero observationum, quae de morbi indole et progressione innotuerant, partim negligentia partim non ad summam fidem exacta diligentia [4]). Verum his difficultatibus non deterritus SUERMANNUS, alacriter manus operi admovit. Epidemia ei erat naturae phaenomenon. Audiamus ipsum. „Aliam, inquit, superesse viam existimo, quae omni Physicae ideoque et Medicinae communis, una vera habenda est, ut scilicet sedulo et accurate particularia

---

[1]) VORSSELMAN DE HEER *in Calend. Stud. Traiect.* a. 1841 p. 134.

[2]) Censura v. c. est in *Heidelb. Jahrb.* a. 1832 n°. 64 p. 1014 sqq. valde honorifica, quae eo pluris habita est, quoniam cum doctissimo eius scriptore non omnino consenserat iuvenis, cuius cf. Comment. in *Annal. Acad. Lugd. Bat.* a. 1829—1830 p. 67.

[3]) A. C. G. SUERMAN *Or. nomine Doctorum habita* d. XIV Iunii CIƆIƆCCCXXXVI, *in Ann. Acad. Rheno-Traiect.* 1836—1837, p. 61.

[4]) VAN OOTH, *Herinnering aan* A. C. G. SUERMAN *als arts en klinisch leeraar*, p. 10.

quaecunque explorentur et colligantur, ut hinc ad generalia adscendatur, et sic ultimo demum loco in causas inquiratur phaenomenorum. Non quidem novam hanc esse viam intelligo; quo vero magis immensis omnium doctrinarum physicarum progressibus recentiori aevo fuerit comprobata, eo maiorem illi habendam esse fidem autumo" [1]. Quo iure autumaret, ipsum Specimen probavit, cuius ut exordio Baconianum illud praemissum est: "hominum intellectui non plumae addendae, sed plumbum et pondera, ut cohibeant omnem saltum et volatum:" ita in quavis eius parte viri docti expressa repererunt certissimae, quae ex hoc fonte manat, investigationis signa [2]. Hinc opus illud in primam retulerunt classem. Cui laudi fuit qui adderet: "nisi argumentum ex recentissima promtum esset aetate, videremur nobis ipsius antiquitatis opus legere, concisae CELSI orationi elegantiam iungens urbanitatis Ciceronianae" [3].

Fuit haec SUERMANNO, in vitam publicam prodeunti, commendatio haud vulgaris. Accesserunt novi honores, alteris Academiae secularibus *more maiorum* in scriptorem egregiae disputationis de *calore fluidorum elasticorum specifico* collati. Quid mirum, si a civibus suis iuvenis perdoctus honorifice excipiebatur? Quemadmodum Academiae decori fuerat, ita civitati fulcro futurus esse videbatur. Etenim constabat, eum numquam doctiorem se quam meliorem fieri studuisse. Hoc dicenti mihi in mentem venit eorum, quae tum a familiaribus eius memoriae prodita sunt tum ex ipsius scriptis elucent. Miratus sum modestiam illam, eruditioni parem, quam perpetuo aluit cognitio sui. Aliis se haud praeponens, ipse sine invidia laudem inveniebat et ita acceptus condiscipulis erat, ut suae in eum voluntatis documenta sponte ederent [4]. Dixit HEUSDIUS meus, boni civis primordia in pietate filii, in discipuli diligentia, in amici fide latere [5]. Diligentiam iuvenis nostis. De fide non amplius dubitatis. Pietas autem huiusmodi fuit, ut praedicare ex vero posset, se in patris felicitate fortu-

---

[1]) *Spec.* p. XXI.

[2]) VORSSELMAN DE HEER l. l. p. 145 et VAN COOTH l. l. p. 11.

[3]) M(ARX), *Gött. Anz.* 1836, p. 771.

[4]) SCHROEDER VAN DER KOLK, *toespraak aan zijne leerlingen na het afsterven van* A. C. G. SUERMAN, p. 9.

[5]) *Brieven over Hooger Onderwijs*, Voorb.

nas suas ponere, se totum in patre esse [1]). Quicumque eo tempore in animi iuvenilis recessus intuiti sunt, quo tempore domus Suermanniana gravissimis cladibus perculsa est, suspexerunt et hanc pietatem et aequam in rebus arduis mentem et firmissimam illam in summa animi simplicitate curae divinae fidem [2]). Firmissimis hisce radicibus innixus, omnes explicuit ingenii animique vires, adeo ut non tantum doctus et sollers medicus, verum etiam civis bonus ad lectulos aegrotantium accederet. Tum apparebat, vere eum vitam hominum appellasse *sacrosanctam* [3]). Si dicitur diligentissime in omnia inquirere consuevisse momenta, quae ipsi nonnihil lucis in tenebris afferrent, parum dicitur. Praesto unicuique erat singulari benevolentiae et misericordiae significatione, consiliis etiam monitisque et omni omnino auxilii genere ad mentem erigendam efficacissimis et vero saluberrimis ad sublevandos pauperes. Horum deliciae vocabatur [4]). Paternum illud „medicus agnoscit facile, imo sentit virus, quod mortem continet, sed suum etiam novit officium" [5]): hoc ipsi, ut nihil magis, venis atque medullis infixum fuit. In hac perseverans sententia, a Deo nihil quidquam mali sibi eventurum esse, dirissimam luem non reformidabat, nec quaerebat *quamdiu*, sed *quam bene* esset victurus. — Sunt sua virtuti praemia. Hunc alumnum aetate florentem Alma Mater, primo ab alteris secularibus lustro, salutavit *Medicinae Professorem*. Tum SUERMANNUS ex hoc ipso suggestu dixit de *Medicina, doctrinarum physicarum ope, nostra imprimis aetate, perficienda;* in qua quidem Oratione quae disputata sunt, optimis omnia auspiciis disputata esse censentur [6]). Nam exordium ducitur ab HIPPOCRATIS, quam memoravi, apud PLATONEM sententia: „nemo veri nominis Medicus est sine universi cognitione:" docemur, disciplinas physicas non solum adminicula esse, quae ad Medicinam praeparent, sed

---

[1]) *Or. de Medicina*, p. 25.

[2]) VORSSELMAN DE HEER l. l. p. 144, qui iure citat egregia filii ad patrem verba, Specimini de *Chol. Asiat. itin.* praemissa.

[3]) *Or.* laud. p. 27.

[4]) SCHROEDER VAN DER KOLK l. l., p. 21.

[5]) B. F. SUERMAN, *Or. de animi fortitudine virtute medicis propria, maxime illa in Epidemiis conspicua*, a. 1827, p. 18.

[6]) VAN GOOTH l. l., p. 18.

eas in Medicinam introductas, hanc incredibili iam studio ad suam ipsarum certam rationem erigere conari: accipimus, hinc novas exortas esse doctrinas, Anatomiam, Chemiam, Physicam pathologicas: spes affertur fore, ut hac regia via ad Medicinam perveniatur physiologicam, verum, ut ipse ait, doctrinae Medicae finem. Hanc SUERMANNI spem num eventus fefellerit, meum non est definire. Quamquam sapientissimorum virorum auctoritate quid ipse credam, probe novi. Huic Orationi congruérunt et tamquam pondus addiderunt cuncta, quae a SUERMANNO tum ex cathedra et in sermonibus cum discipulis tum ad aegrotantium lectulos dicta factaque sunt. Hinc novum Professorem discipuli in oculis ferebant. Sed et his et Academiae magis ostensus ille quam datus est. Septem ab habita Oratione mensibus exactis diem obiit [1]), eo morbo confectus, a quo ut quam plurimos liberaret, ipse diu noctuque in gravissima degerat contagione. O fallacem hominum spem, quam vehementer te exsecraremur, nisi SUERMANNI iam aegrotantis et parentes roborantis sententia nos quoque incredibili gaudio perfunderet: res humanas divinitus, id est, optime procurari!

Habetis, Auditores ornatissimi, exemplum ex his quinque et viginti annis petitum, quo confirmare sententiam de vitae Academicae gravitate placuit. Sunt fortasse qui dicant: hoc exemplum quid ad nos, qui non Medicinae, sed Iurisprudentiae, Theologiae, Literis humanioribus operam navamus? Videant, quaeso, ne pueriliter ineptiant. Ego, quamquam non sine verecundia ad ea, quae a meis studiis prorsus aliena sunt, proferenda accessi et aetate iam provectior sum, intuens tamen in huius iuvenis imaginem, visus mihi sum audire vocem ad me ipsum cohortandum et monendum valde efficacem. Scilicet non tantum commune est omnium disciplinarum vinculum, sed veri amor iis omnibus est vitae fons. Hunc undecumque alimus, proficimus ad difficillimos labores alacriter suscipiendos, ad vindicandos nosmetipsos in libertatem, ad bona et honesta quaeque tuenda et promovenda. Hinc quicumque vobis, commilitones optimi, et per vos patriae bene cupiunt, saepissime monent, ut non in amicis eidem

[1]) D. x Febr. CIƆIƆCCCXL.

Ordini adscriptis acquiescatis, sed cum praestantissimis omnium Ordinum studiosis frequenter una esse et horum ope vos invicem excolere velitis. Hoc SUERMANNUS fecit, cuius quidem ingenio animoque similes alumnos ut novum, quod ingredimur, lustrum videat, vehementer optamus.

Ita Tu faxis, Summe Deus, cuius providentiae et hanc Academiam et omnes doctrinae in carissima patria sedes pie commendamus.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE AB EXACTIS FERIIS AESTIVIS ANNI CIƆIƆCCCLXI USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLXII,

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

IACOBO ADOLPHO CAROLO ROVERS.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora II.

Metaphysica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

Historiam philosophiae veteris explicabit S. KARSTEN, die Lunae, hora II et III aliave commodiore.

Literas Graecas docebit S. KARSTEN, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora XI, tractando Demosthenis *oratt. Philippicas*, Sophoclis *Aiacem*.

Literas Latinas docebit S. KARSTEN, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora XII, interpretando Ciceronis *Epistt.* ad Q. fratrem, Taciti *Germaniam*, Catulli et Horatii *carmina* selecta. Idem die Lunae, hora XI, Historiam literariam tractabit.

Antiquitates Graecas tradet S. KARSTEN, diebus Lunae et Mercurii, hora XII.

Antiquitates Romanas exponet I. A. C. ROVERS, die Martis, hora IX et X, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Historiam Gentium enarrabit I. A. C. ROVERS, die Martis, hora I, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Historiographiam Latinam tradet I. A. C. ROVERS, hora auditoribus commoda.

Literas Hebraicas docebit H. C. MILLIES, tum Grammatica explicanda, tum parte libri Iudicum legenda, die Martis, hora X, die Iovis, hora I, die Veneris, hora IX.

Literarum Chaldaicarum et Syriacarum initia tradet H. C. MILLIES, die Lunae, hora XII, die Saturni, hora IX.

Antiquitates Israelitarum explicabit H. C. MILLIES, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Locos selectos Scriptorum Arabicorum, Chaldaeorum et Syriacorum cum provectioribus leget H. C. MILLIES, die Mercurii, hora V.

Si qui sint, qui *literis Malaïcis et Iavanicis* operam dare cupiant, eorum studia lubentissime adiuvabit H. C. MILLIES, die Lunae, hora V.

Rationem linguae patriae tradet G. G. BRILL, die Lunae, hora I, die Martis, hora II, die Saturni, hora XI.

Historiam patriae enarrabit G. G. BRILL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Historiam literarum patriarum exponet G. G. BRILL, diebus et horis auditoribus commodis.

Institutiones paedagogicas habebit S. KARSTEN, die Mercurii, hora XI, die Saturni, hora IX, interpretando Aristotelis *Artem poëticam*, Plinii Secundi *Epistolas*.

Disputandi exercitationes, alternis hebdomadibus, die Lunae, hora I, instituendas, moderabuntur S. KARSTEN et I. A. C. ROVERS.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, hora V.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Physiologiam docebit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora VIII, die Mercurii, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Biologiam generalem exponet F. C. DONDERS, diebus Mercurii et Iovis, hora X.

Pathologiam, sectionibus cadaveris illustratam, tradet F. C. DONDERS, diebus Martis et Iovis, hora IX, diebus Lunae et Veneris, hora X.

Materiem medicam et praecipua *therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II; post ferias autem hiemales, die Veneris, hora IX.

Pathologiam et therapiam specialem tradet G. I. LONCQ, die Lunae, hora VIII, diebus Martis et Iovis, hora IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Exercitationes policlinicas in arte chirurgica et *ophthalmiatrica*, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, hora IX; *clinicas*, tum *chirurgicas*, tum *ophthalmiatricas*, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora X, moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, *in cadavere instituendis*, qualibet oblata occasione, praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die Saturni, hora VIII.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I; morbos puerperarum et neonatorum, die Iovis, hora VIII.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, die Lunae, hora XII-II, die Veneris hora I, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas in ophthalmiatria* moderabitur F. C. DONDERS, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora II.

Medicinam forensem exponet F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II.

B. F. SUERMAN, quamvis munere suo per aetatem sit defunctus, civibus tamen Academiae qualibet opportunitate prodesse paratus erit.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora I.

Mechanicam analyticam tradet R. VAN REES, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XI.

Chemiam anorganicam docebit G. I. MULDER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora XII.

Chemiam organicam docebit G. I. MULDER, diebus Iovis et Veneris, hora XII.

Chemiam practicam exponet G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio chemico.

Chemiam physiologicam tradet G. I. MULDER, die Iovis, hora IX.

Chemiam pharmaceuticam tradet G. I. MULDER, diebus Iovis et Veneris, hora X.

Zoologiam exponet P. HARTING, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI, die Martis, hora X.

Zootomiam, Physiologiam et Histologiam comparatam provectioribus discipulis tradet P. HARTING, diebus Martis et Iovis, hora II.

Palaeontologiam docebit P. HARTING, hora postea indicanda.

Introitum in studium rerum naturalium, aliarum etiam facultatum studiosis destinatum, tradet P. HARTING, die Mercurii, hora pomeridiana VI dimidiata, vel alia auditoribus magis commoda.

Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeerit P. HARTING.

Elementa Matheseos docebit C. H. D. BUYS BALLOT, ante ferias hiemales quotidie, hora VIII.

Stereometriam et trigonometriam sphaericam tradet C. H. D. BUYS BALLOT, post ferias hiemales ter per dierum hebdomadem, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VIII.

Calculum differentialem et integralem exponet et ad lineas et superficies curvas applicabit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XII.

Astronomiam popularem exponet M. HOEK, diebus et horis postea indicandis.

Astronomiam theoreticam tradet M. HOEK, horis auditoribus commodis.

Astronomiam practicam tradet M. HOEK, horis auditoribus commodis.

Artis observandi exercitiis quotidie praeerit M. HOEK.

Botanicam generalem docebit F. A. W. MIQUEL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI.

Physiologiam plantarum tradet F. A. W. MIQUEL, die Veneris hora XI.

Exercitationibus phytotomicis praeerit F. A. W. MIQUEL, horis deinde indicandis.

Plantarum officinalium historiam exponet F. A. W. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora III.

Oeconomiam ruralem docebit F. A. W. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora X.

Mineralogiae elementa tradet F. A. W. MIQUEL, die Mercurii, hora III.

Geologiam tradet F. A. W. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora II.

Physiographiam generalem coloniarum indo-orientalium exponet F. A. W. MIQUEL, hora deinde indicanda.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, quamquam ob aetatem rude donatus, civibus tamen academicis, quantum licebit, prodesse conabitur.

Chemiae experimentalis et *theoreticae* partem, quae a Chemiae Professore non traditur, docere paratus est I. W. GUNNING, Chemiae Lector.

Hygienae publicae capita selecta tractabit I. W. GUNNING, hora pomeridiana auditoribus commoda.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Theologiam dogmaticam docebit H. E. VINKE, diebus Lunae et Martis, hora X, die Mercurii, hora XI.

Theologiam biblicam Novi Foederis tradere perget H. E. VINKE, die Iovis, hora XII.

Theologiam practicam, praesertim *ius Eccl. Nederlandicum*, tradet H. E. VINKE, diebus Lunae et Martis, hora XI, die Mercurii, hora XII.

Historiam librorum Novi Foederis sive *Introitum in Novum Foedus* tradet B. TER HAAR, die Lunae, hora IX.

Ethicam Christianam docebit B. TER HAAR, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae enarrabit B. TER HAAR, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Exercitationes oratorias moderabitur B. TER HAAR, die Veneris, hora XII.

Disputandi copiam dabit B. TER HAAR, hora et sibi et auditoribus commoda.

Philosophiam de Deo s. Theologiam naturalem docebit I. I. DOEDES, die Lunae, hora I, die Martis hora XII, die Iovis, hora IX.

Hermeneuticen librorum Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, die Mercurii, hora II.

Exegesin Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, *interpretandis locis selectis ex epistolis Pauli atque Petri*, diebus Martis et Mercurii, hora I.

Puerorum doctrinae Christianae initiis erudiendorum exercitationem instituet I. I. DOEDES, die Iovis, hora II.

Exegesin Veteris Foederis tradet H. C. MILLIES, interpretandis nonnullis Iesaïae vaticiniis, diebus Veneris et Saturni, hora X.

Isagogen in libros sacros Veteris Foederis exponet H. C. MILLIES, diebus Veneris et Saturni, hora XII.

Commilitonibus *orationes sacras* habentibus praesides aderunt H. E. VINKE, B. TER HAAR et I. I. DOEDES, diebus et horis tum sibi tum commilitonibus maxime commodis.

H. BOUMAN munere quidem academico defunctus est ac rude donatus, sed Theologiae tamen Studiosis quantumpote prodesse conabitur.

IN FACULTATE IURIDICA.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, et Veneris, hora XI.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER, diebus Lunae et Veneris, hora I, die Iovis, hora X.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. VREEDE, diebus Lunae et Martis, hora VIII.

Iurisdictionis administrativae, quae dicitur, *selectas caussas* tractabit G. G. VREEDE, die Mercurii hora I.

Ius Gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, diebus Martis et Saturni, hora X.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die Iovis, hora X, die Veneris, hora I, die Saturni, hora VIII.

Ius civile Nederlandicum docebit I. A. FRUIN, diebus Lunae et Mercurii, hora IX, die Iovis, hora XI et die Veneris, hora X.

Ius mercatorium et maritimum exponet I. A. FRUIN, diebus Lunae et Mercurii, hora X, die Veneris, hora IX.

Legem Iudiciorum privatorum explicabit I. A. FRUIN, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora IX.

Exercitiis forensibus praeerit I. A. FRUIN, alternis Mercurii diebus, hora vespertina VII.

Oeconomiam politicam docebit O. VAN REES, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XII.

Statisticam explicabit O. VAN REES, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora XII.

Historiam Europae politicam tradet O. VAN REES, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora I.

Publicis disputandi exercitiis praeerunt Iuris Professores, alternis hebdomadibus, hora deinde indicanda.

A. C. OUDEMANS docebit *Chemiam theoreticam*, die Saturni, hora IX.

A. C. OUDEMANS docebit *Chemiam analyticam*, diebus Lunae et Martis, hora IX.

A. C. OUDEMANS docebit *Chemiam forensem*, die Mercurii, hora IX.

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis audito-

ribus commodis, e Literis Germanicis *Goethii* tragoediam, quae *Faust* inscribitur, vel eiusdem et *Schilleri* selecta carmina interpretabitur; *Literarum Germanicarum historiam* imprimis inde a saeculo XVIII exponet.

I. VENNING, Literarum Anglicarum Lector, *Literas Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum Lector, *Literas Francicas* docebit diebus et horis auditoribus commodis.

Bibliotheca Academica diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, ab hora XII ad IV, feriarum autem tempore singulis diebus Iovis, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum zoologicum et mineralogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXI.

In	Facultate	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	15.
〃	〃	Medica	67.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	13.
〃	〃	Theologica	190.
〃	〃	Iuridica	165.
			450.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hic publice progressus probent et Doctores creentur, quorum,

In	Facultate	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	—
〃	〃	Medica	1.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	—
〃	〃	Theologica	9.
〃	〃	Iuridica	9.
			19.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

A DIE XXIII M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXI AD DIEM XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXII.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. 28 m. Iunii. HILLEGONDUS IDANUS HELDERMAN, Oldensaliensis, privatim defenso Specimine *continente Quaestiones in Aristophanis Plutum*, Ph. Th. Mag. Litt. Hum. Doctor, *cum laude*.

IN FACULTATE MEDICA.

" 8 " Apr. HERMANUS GISBERTUS HESSELINK, e pago Tubbergen, publice defenso Specimine, cui titulus: *De historische ontwikkeling van de pathologisch-anatomische kennis der Bright'sche ziekte*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

" 7 " Iunii. HERMANUS GERARDUS MAES, Amstelodamensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Over Torpor Retinae*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

" 10 " " FREDERICUS ANTONIUS HARTSEN, Amstelodamensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Opmerkingen naar aanleiding van twee gevallen van Diabetes Mellitus, door den schrijver in het Academisch ziekenhuis te Utrecht waargenomen*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 26 m. Iunii. PETRUS ANTONIUS HENRICUS SWEENS, Sylvaducensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

" 27 " " ABRAHAMUS HENRICUS ANTONIUS VAN ROOJEN, e pago Vleuten, publice defenso Specimine, cui titulus: *Over het verwijderen der nageboorte door uitwendige handgrepen*, Med. Doctor, *cum laude.*

" 28 " " IOSEPHUS HENDRICUS AUGUSTUS HAFFMANS, e pago Horst-Limburgensis, privatim defenso Specimine cui titulus: *Bijdrage tot de kennis van het Glaucoma*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

" 28 " " ABRAHAMUS IOHANNES PAULUS DE WILDE, e pago Lange Ruige Weide, privatim defenso Specimine cui titulus: *Over eenige gevallen van Iritis en Iridochoroiditis*, Med. Doctor.

" 29 " " HENRICUS DE BRIEDER, Rheno-Traiectinus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

" 27 " Sept. HENRICUS TOBBE, e pago Zaandyk, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chir. Doctor.

" 14 " Oct. IOHANNES EVERARDUS DE VOOGT, ex oppido Oldenzaal, publice defenso Specimine, cui titulus: *Eenige gevallen van Meningitis cerebro-spinalis epidemica*, Med. Doctor.

" 15 " " HERMANNUS GISBERTUS HESSELINK, e pago Tubbergen, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

" 23 " " HERMANNUS GISBERTUS HESSELINK, e pago Tubbergen, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chir. Doctor, *cum laude.*

" 25 " " GERARDUS PETRUS VAN TIENHOVEN, e pago de Werken, publice defenso Specimine, cui titulus: *De oorzaken en het wezen van stuipen die kunnen optreden voor, bij en na de baring*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

13 " Nov. PETRUS TEMPLEMAN VAN DER HOEVEN, Rheno-Traiectinus,

publice defenso Specimine, cui titulus: *Waarneming eener spondylarthrocace en ontwrichting van den eersten en tweeden halswervel*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 10 m. Dec. HERMANNUS GERARDUS MAES, Amstelodamensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude*.

″ 12 ″ ″ IOSEPHUS HENRICUS AUGUSTINUS HAFFMANS, e pago Horst, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chir. Doctor, *magna cum laude*.

″ 18 ″ ″ PETRUS ANTONIUS HENRICUS SWEENS, Sylvaducensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chir. Doctor, *cum laude*.

″ 21 ″ ″ ABRAHAMUS IOANNES PAULUS DE WILDE, e pago Lange Ruige Weide, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *cum laude*.

″ 26 ″ Febr. ABRAHAMUS HENRICUS ANTONIUS VAN ROOJEN, e pago Vleuten, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *cum laude*.

″ 28 ″ ″ HERMANNUS GERARDUS MAES, Amstelodamensis, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chir. Doctor, *magna cum laude*.

″ 8 ″ Martii. GERARDUS PETRUS VAN TIENHOVEN, e pago de Werken, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *cum laude*.

″ 8 ″ ″ GUILIELMUS MARIUS GUNNING, Hornanus, Med. et Chir. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude*.

″ 19 ″ ″ ROELOF THEODORUS HART, e pago Nieuwer-Amstel, publice defenso Specimine, cui titulus: *Over de alvleeschklier en hare verrigting*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

″ 19 ″ ″ FREDERICUS PHILIPPUS KÜTHE, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, cui titulus: *Over den invloed van den Nervus Vagus op de hartsbeweging*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 11 m. Apr. PETRUS IOHANNES GOUDA QUINT, e pago Retranchement, publice defenso Specimine *exegetico-historico de Iesu Christo ἀναμαρτήτῳ*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

" 7 " Nov. SIMON PETRUS HERINGA, e pago Berlicum, verbi divini Minister, publice defenso Specimine *historico-theologico de Hermanno Witsio, Theologo Biblico*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

" 20 " Apr. ABRAHAMUS PETRUS CORNELIUS VAN KARNEBEEK, Amstelodamensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Eenige opmerkingen over de deelbaarheid en ondeelbaarheid der verbindtenissen in het burgerlijk regt*, I. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

" 16 " Maii. LUDOVICUS VAN CITTERS, Medioburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 25 " " ANTONIUS BERNARDUS VAN MARLE, e vico Egede, prope Hellendoorn, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 6 " Iunii. IANUS CAROLUS IACOBUS VAN RAPPARD, Sylvaducensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 10 " " PETRUS IOHANNES GESIENUS VAN DIGGELEN, Zwollanus, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Over het regt op schorren en anderen aanwas van gronden*, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

" 14 " " IANUS WILMSONN KYMMELL, Leovardiensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 15 " " IOHANNES HEYLIGERS, Schiedamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 5 " " WILCO IULIUS VAN WELDEREN RENGERS, Leovardiensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Over het verband tusschen het burgerlijk regt en de staathuishoudkunde*, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 26 m. Iunii. NICOLAUS IACOBUS DEN TEX, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, cui titulus: *Over Jacob Hop, gezant der vereenigde Nederlanden*, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

〃 28 〃 〃 WENNEMAR IANUS ENGELS, ex oppido Ootmarsum, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

〃 29 〃 〃 IOHANNES HENRICUS EGBERTUS MEESTERS, Stenovicensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

〃 30 〃 Sept. CAROLUS MARIA ALPHONSUS IOSEPHUS BERGERS, Mosa-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

〃 15 〃 Oct. IANUS CAROLUS TACK, Drusoburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

〃 23 〃 〃 IOHANNES HENRICUS VERNHOUT, Haganus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

〃 1 〃 Nov. HENRICUS OYENS, Amstelodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

〃 12 〃 〃 IANUS PETRUS FRANCISCUS VAN DER MIEDEN VAN OPMEER, Medioburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

〃 18 〃 〃 IANUS GERARDUS HENRICUS BARTINUS KETJEN, Arnhemiensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

〃 22 〃 〃 DAVID BERNARDUS LE IOLLE, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, cui titulus: *De wet van* 9 *Julij* 1855 (*Staatsblad* n°. 67) *in verband met den Titel van het burgerlijk wetboek over afwezigheid*, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

〃 9 〃 Dec. GUILIELMUS FREDERICUS MARINUS SELLE, Rheno-Traiectinus, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Onderzoek naar de regtsgeldigheid en beteekenis der wet van* 11 *Germinal an XI, handelende over de voornamen en naamsveranderingen*, I. R. et Hod. Doctor.

〃 16 〃 〃 ADRIANUS IOHANNES IMMINCK, Drusiburgensis, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Eenige opmerkingen over de misdaad van brandstichting*, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 20 m. Dec. HIPPOLYTHUS DOMINICUS EUGENIUS HUBERTUS COLLAES, Litterarum, Iuris et Disciplinarum Politicarum Doctor in Academia Lovaniensi, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

〃 20 〃 〃 IANUS STEPHANUS VELTMAN, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, cui titulus: *Over endossement van wisselbrieven*, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

〃 24 〃 Febr. GUILIELMUS ADRIANUS VAN HOEK, Roterodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

〃 28 〃 〃 IOHANNES GUILIELMUS FREDERICUS ROOSE HAVERKAMP, Medioburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

〃 7 〃 Martii. GUALTHERUS KOLFF, e pago Deil, privatim defenso Specimine, cui titulus: *Over de uitvoerders van uiterste willen*, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

〃 24 〃 〃 PETRUS ANTONIUS WALLAND, e pago Zeist, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

Praeterea d. 17 m. Iunii honoris causa Doctores creati sunt septem viri, quorum nomina supra in Actis Senatus et in Rectoris Magnifici sermone commemorata sunt.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. X OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXI AD D. IX OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXII

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

PETRUS IOHANNES VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. NIENHUIS, Prof. emeritus.
I. H. PHILIPSE.
B. I. GRATAMA.
G. DIEPHUIS.
B. D. H. TELLEGEN.

IN FACULTATE MEDICA.

I. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
I. HISSINK IANSEN.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. G. ERMERINS.
C. MULDER.
W. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
W. MUURLING.
E. I. DIEST LORGION, Prof. extraord.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE.
I. I. P. VALETON.
W. I. A. IONCKBLOET.
W. HECKER.
C. M. FRANCKEN.

ORATIO

QUAM HABUIT

HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL,

DIE IX OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXII

QUUM ACADEMIAE GRONINGANAE REGUNDAE MUNUS DEPONERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!
QUI HIS AB ACTIS ES, VIR GRAVISSIME!
QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!
HUIUS ACADEMIAE CIVES, IUVENES LECTISSIMI!
CUIUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Lex iubet, ut Rector Magnificus, Academiae fasces deponens, quotannis huius Institutionis fata per annum elapsum antiquo more et Latino sermone enarret.

Gaudeo me fata ista brevissime posse complecti; quod Academiae cives atque antistites attinet, fere verbo: omnes per hunc annum salvos atque incolumes mansisse. Gaudeo Academiae Curatores quique huic collegio ab actis est sospites mansisse. Gaudeo Professores atque Academiae alumnos per annum sine impedimento studiis invigilare potuisse.

Dolemus autem Virum Ampl. VAN ROIJEN nurum, Viros Clar. HISSINK IANSEN et HECKER matrem, Viros Clar. VALETON, FRANCKEN et IONCKBLOET socerum amisisse. Cum Viro Ampl. VAN ROIJEN et collegis aestumatissimis triste fatum ex animo lugemus.

Te, Vir Clar. MUURLING, gratulamur tibi largitum esse Deum iam per quinque lustra institutionis theologicae in Franequerano olim Athenaeo et in hacce nostra schola officium explere praestantissimum. Servet te Deus O. M. per longam etiam annorum seriem in salutem tam Academiae nostrae, quam muneris gravissimi, quod iuventutem verbis non tantum, verum etiam vitae tuae exemplo doces.

Tibi, Clar. IONCKBLOET, honor contigit duplex, quod Regis Belgici favore Ordinis Leopoldini Eques et civium suffragiis urbis nostrae Senator sis electus. Tua et Academiae causa tecum laetamur.

Deo Optimo Maximo gratias ex imo corde agimus, tam multa bona, tam pauca mala nobis accidisse.

Alumnus olim Academiae nostrae, Vir Doctissimus P. A. S. VAN LIMBURG BROUWER, initio huius anni, effigiem patris sui, Viri Clarissimi PETRI VAN LIMBURG BROUWER, egrégie pictam, dono dedit nobis sane gratissimo, quoniam sic laete reviviscit memoria celeberrimi viri, quem multi nostrum per plures annos eximium litterarum decus noverunt. Gratias filio egimus sinceras. Speramus autem fore, ut etiam alii litterarum amantes conamina nostra adiuvent, ad magis magisque, quantum fieri possit, augendam seriem imaginum Professorum, qui olim in hac Musarum sede floruerunt. — Multas enim atque inter has optimas carissimorum capitum effigies quidem possidemus, sed plures etiamnunc, quae adesse possent, in templo Academico frustra quaeruntur.

Laetissime nobis accidit, per totum huncce annum iuvenes in hacce Academia studiosos morum honestate ita excelluisse ut vix ac ne vix quidquam vituperandum fuerit. Ego saltem lubenter profiteor, societatem amicam atque, ut vere dicam, sodalitii vinculum Professores inter atque Academiae alumnos omnium bonorum votis omnino respondisse. Magistratus mei onus hoc anno levissimum fuit.

Studiorum in hac Academia adminicula bono ordine conservata sunt et non tantum Professoribus et studiosae iuventuti, verum etiam haud raro viris doctis extra academicum forum utilia fuerunt.

Praecipue hoc valet de Bibliotheca, cuius usus in dies increscit, ita ut collega aestumatissimus, cui illius cura mandata est, de studiis nostris inprimis optime merere dicendus sit. Bibliotheca academica, ab eo inde, quo condita est, tempore anno millesimo sexcentesimo duodevigesimo (1618) collocata erat in parte superiore Monasterii, quod iam ante medium saeculum decimum tertium hic aderat, sed Reformationis tempore derelictum. Pars eius inferior per longam annorum seriem inserviit Gymnasio, sed praecedenti anno evacuata est propter graves tecti murorumque defectus. Hocce autem, quo vivimus, anno, ob imminentem totius huius aedificii ruinam, utile visum fuit, etiam librorum supellectilem ex istis aedibus tollere. Praesides templorum Ecclesiae reformatae in hac urbe humanissime permiserunt, ut Bibliothecam per aliquod tempus deponeremus in Choro

Aedium S[ti] Martini. Eidem proposito ex parte inservit aedificium dictum *het Ommelanderhuis*, quo fit ut satis bene libris unusquisque possit uti. — Speramus, quamvis nondum ab omni parte certum sit, mox novum aedificium, hacce Musarum sede dignum, in Bibliothecae nostrae usum exstructum iri.

In Horto Botanico iamdudum metuebamus, ne antiquum hybernaculum, arboribus ex calidioribus regionibus destinatum (vulgo *de Oranjerie*), aetatis labe corruptum in ruinam caderet, quamobrem praecedenti anno, quantum fieri possit, caute fulcitum est. Laetamur, nunc novum atque spatiosum huiusmodi hybernaculum et huic adiuncta speciales in usus horrea intra breve tempus exstructum iri.

Reliquorum adminiculorum, quae studiis physicis et chemicis inserviunt, frequens est usus. Augentur atque emendantur, quantum pecunia quotannis concessa sinit. Idem valet de studiorum medicorum praesidiis, inter quae speciatim artis obstetriciae instrumenta hoc anno aucta sunt.

Sic omnia hic fausto omine procedunt et haec quoque Academia ad communem civitatis litterariae patriaeque salutem suam partem confert. Utinam haec omnia sic fausta maneant et novus, quem proclamo, Rector hancce nostram carissimam almam matrem in dies magis magisque videat florentem!

Accipias, Clar. DIEST LORGION! Academiae fasces. Sit tibi magistratus felix et faustus!

Summum Numen precamur, ut Academiae nostrae in longam annorum seriem benigne prospiciat [1])!

DIXI.

---

[1]) Postquam sic *legi* satisfactum fuit, habita oratione *Latino* sermone, post aliquam intermissionem, Rector qui modo fasces deposuit, eodem loco iterum verba fecit et nunc vernaculo sermone: "*over het voor den mensch verheffende van de beoefening der Natuurkundige Wetenschappen*;" quae altera oratio iam nunc sequitur.

REDEVOERING

OVER

HET VOOR DEN MENSCH VERHEFFENDE VAN DE BEOEFENING DER NATUURKUNDIGE WETENSCHAPPEN;

DOOR

H. C. VAN HALL,

UITGESPROKEN

IN HET GROOT AUDITORIUM DER HOOGESCHOOL TE GRONINGEN,

OP DEN 9den OCTOBER 1862.

VAN WELKEN RANG OF STAND, DIE DEZE VERGADERING MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT,

ZEER GEWENSCHTE HOORDERS!

Het is mij eene aangename taak, van *deze* plaats het woord te voeren in mijne *eigene* taal; mijne denkbeelden en gevoelens te mogen uitdrukken in die klanken, welke mij, van der jeugd af, het *natuurlijkst* zijn.

Dit gevoel kwam van zelf bij mij op, toen ik het voornemen opvatte, eene gedachte, die in den loop mijner studiën en van het door mij gegeven wordend onderwijs mij telkens en telkens weder voor den geest kwam, als eene door veeljarige ondervinding van alle zijden bevestigde, innige overtuiging, in dit uur voor u uit te spreken. — Waar ik ook, in gesprekken, in openbare bijeenkomsten of bijzondere lessen, gelegenheid had over het door mij bedoelde onderwerp te spreken, ik deed het in mijne *moedertaal*, en hoe zoude men ook anders, dat wat onze ziel vervult, geheel en volkomen in den geest van anderen kunnen overbrengen? Hoe zoude men kunnen overtuigen, als men naar *woorden* zoeken moet, in plaats van de *zaak*, en daarmede onze innigste gevoelens, uit te spreken met die woorden, welke ongezocht van de lippen vloeijen?

Zoo wensch ik dan, in dit opzigt vrij en onbelemmerd, te spreken over een denkbeeld, dat mij, bij de beschouwing der Natuur, steeds levendig getroffen heeft en waarvan de waarheid en tevens de nuttige strekking mij van jaar tot jaar duidelijker in het oog viel. Ik bedoel *het voor den mensch verheffende van de beoefening der natuurkundige wetenschappen*.

Verleent mij hiertoe uwe toegevende en welwillende aandacht.

De allereerste ontwikkeling des geestes bij het *kind*, voor zoo ver wij dit kunnen nagaan, geschiedt door den invloed der Natuur op de *zintuigen*. De *warmte* geeft het een aangenaam gevoel; het *licht* wekt de nog sluimerende gewaarwordingen op; de *stem* der moeder dringt hem in 't oor; het eerste voedsel schenkt hem de eerste genietingen; zijne eerste beweging is naar het flikkerend licht of naar zijne moeder gerigt. Alras trekken duizenderlei kleuren en geuren der bloemen, de bewegingen der dieren en talrijke in de Natuur alom levende stemmen en klanken zijne aandacht. De zintuigen beginnen duidelijker waar te nemen, en dagelijks grooter wordt de werking, die de voorwerpen der Natuur op zijn voor alle indrukken nog zoo vatbaar gemoed uitoefenen.

Na broeder of zuster, zijn *dieren* zijne eerste gespelen en onbedorven medgezellen; *planten* zijne eerste kweekelingen. Door het zien van de voorwerpen der Natuur en door die aanvankelijk te leeren kennen en gebruiken, maakt de menschelijke geest reeds in zeer jeugdigen leeftijd een *begin* van hooger verstandelijke ontwikkeling en doet ook het onervaren kind zich zelven reeds menigmaal de vraag: vanwaar dat alles?

Nog herinner ik mij, — hoe vele, vele jaren er ook sedert verloopen zijn, — met het levendigst genoegen mijne eerste onbestemde pogingen tot het bespieden der Natuur, mijne eerste proeven van tuinkunst op den vaderlijken grond en de levendige blijdschap, die mij bij elke nieuwe ontwikkeling van plant of dier vervulde. Ik roep met den dichter [1]) uit:

„Van wat waanzinnigheid bevangen,
„Vervult mijn borst zich dus van 't lang beschreid voorheen;
„De blijdschap van mijn jeugd lokt tranen op mijn wangen
„En stort m' een nieuwe kracht in de uitgeputte leên."

Nog onbezorgd en onbekend met 's werelds lief en leed geniet het kind en de aankomende jongeling de Natuur. Wat hij ziet en hoort en gevoelt, is hem een steeds nieuwe bron van genot. Gelukkig hij, voor wien *die* bron van genoegen en leering steeds onbedorven blijft vloeijen! Gelukkig hij, wiens bepaalde werkkring, in later leeftijd, is het onderzoek der Na-

---

1) BILDERDIJK Dichtwerken, Haarlem 1856, II, bl. 84.

tuur; wiens genoegen niet alleen, maar ook wiens pligt het zijn zal, hare wetten dagelijks meer en beter te leeren kennen!

Met de ontwikkeling van het ligchaam maakt het eerst schier onbewuste leven des geestes meer en meer plaats vóor het aanvankelijk gevoel eener hoogere bestemming. De jongeling ontwaakt tot nieuwe gewaarwordingen en meer verhevene denkbeelden.

Hij strekt den blik verder uit dan zijne naaste omgeving; poogt, hetgeen hij ziet, onderling in verband te brengen; leert vergelijken en oordeelen. De voorwerpen der Natuur werken krachtdadig mede om het verstand te oefenen, dat, later, in den man tot een welgeoefend oordeel gerijpt, tot de uitnemendste gevolgtrekkingen leiden kan. Hij ziet het uitspansel en vraagt zich af, wat wel die glinsterende sterrengroepen zijn, die hij aan den nachtelijken hemel ontwaart. Zijn verbeelding tracht zich voor te stellen, wat die verwijderde lichtende punten zijn en wat daarop moge plaats hebben. O hoe levendig staan mij nog voor den geest die droomen mijner jeugd, op het land doorgebragt, en met welke gedachten de sterrenhemel mij vervulde! Ik zag de ruimte tusschen de eene ster en de andere, daartusschen weder andere en daartusschen op nieuw en op nieuw ruimte. Waar was de grens dier ongemetene banen? Zoude het oog, ook met de beste werktuigen gewapend, ooit het uiteinde dier ruimten kunnen bereiken? Zoude er werkelijk een grens zijn? — Dat denkbeeld van *onmetelijkheid*, welk gevoel wekt het niet op en welke zielverheffende gedachten aan de almagt van Hem, die dat alles uit niet in het aanzijn riep, wiens werken zoo verre te boven gaan al wat de stoutste verbeelding des menschen zich ooit kan voorstellen!

Hoe menigmaal bleef ik, in warme avondstonden, bij de zoete geuren van roos en kamperfoelie, op de elektrieke lichtverschijnselen aan den hemel staren! Wat is dat weêrlicht? Zijn het ontvlamde brandbare stoffen in den dampkring? Hoe staat het met den bliksem, hoe deze met den donder in verband? Wat al vragen van den onervaren jongeling, waarop later leeftijd eerst een bevredigend antwoord, en dat nog slechts gedeeltelijk, geven zal; maar dat toch toen reeds den zoo nuttigen geest van onderzoek en van *opmerkzaamheid* in hem opwekte en versterkte!

Hoe putte ik mij uit in gissingen over de wonderbare oorzaak van groei en ontwikkeling in de plant; over de vraag, of dieren met denkvermogen begaafd zijn? of er nog andere werelden zijn, door planten en dieren bewoond? of de mensch welligt zelf, na zijn verscheiden, naar andere hemelbollen overgebragt zoude worden? of zijn geest dan nog kennis zoude dragen van hetgeen hier op aarde plaats heeft en wat al andere vragen, voor welke de voor alle indrukken nog zoo vatbare geest onder het ruime hemelgewelf, op de uitgestrekte weiden of in de bosschen op het vrije land zoo menigvuldige aanleiding krijgt! „Gelukkig jongeling, wien de „Natuur bij de hand neemt en hem vroeg over hare bloeijende velden „heenvoert. Iedere schrede scherpt het verstand, veradelt het hart en „spreidt verkwikking over zijn leven."

Wie zal het ontkennen, dat de mensch door het nadenken over al wat de Schepping hem voor oogen stelt, tot een hooger geestesleven verheven wordt? Hoe meer hij vraagt en nadenkt, en meer en meer goed en duidelijk leert zien, of zich waagt aan enkele, eerst nog kleine en onvolkomene proefnemingen, hoe meer een nieuw licht voor hem opgaat. Heil hem, als zijne ongeregelde pogingen in tijds geleid en gesteund worden door helderdenkende onderwijzers, die hem bekend maken met de ervaring van vroegeren tijd, en die zoo ware wetenschap scheppen uit dien chaos van onbeantwoorde vragen, gissingen en halve kennis, die het jeugdig brein vervullen. Heil hem, als hij dan door de bedachtzaam voortschrijdende *Wiskunde* orde en regel in zijne gedachten leert brengen en de onovertroffene schoonheid der aloude *klassieke* schrijvers zijn smaak en schoonheidsgevoel loutert; als hij hierdoor leert zijne gedachten in woorden zuiver en duidelijk uit te drukken; als de ontdekkingen van vroeger tijd, door hedendaagsche kunst verbeterd, hem geschikte *werktuigen* ter hand stellen; hij door het *Teleskoop* het luchtruim leert onderzoeken en het *Mikroskoop* hem eene nieuwe wereld ontsluit, waarin hij ook de *inwendige* zamenstelling van alle voorwerpen, in de volkomenste harmonische evenredigheid, bewondert en daarbij overtuigd wordt, dat alle voorwerpen der Natuur des te volkomener blijken te zijn, hoe meer men in staat is, ze in alle opzigten met meer naauwkeurigheid na te gaan; zoo als PLINIUS reeds zeide: *Nusquam magis quam in minimis totus est Deus.*

Zijn het dus deze beschouwingen, welke de eerste en meest natuurlijke ontwikkeling aan den geest geven, het zijn de natuurkundige *studiën*, waardoor inzonderheid zijne vermogens worden geoefend en versterkt. Ik sprak reeds van de leiding onzer denkbeelden door de den geest zoo zeer vormende *Wiskunde*, die, in verband met *Natuur-* en *Sterrekunde*, tot de verhevenste beschouwingen leidt. *Natuur-* en *Scheikunde* doen ons de wetten der natuur en het wondere zamenstel aller stoffen op aarde van eene ons vroeger onbekende zijde beschouwen, waarbij het oordeel wordt gescherpt door welingerigte proefnemingen: „vragen aan „de natuur, op welke dan alleen een goed en duidelijk antwoord „te verwachten is, als de vragen zelve goed en duidelijk waren voor„gesteld."

De *Natuurlijke Historie*, met welke men reeds op *jeugdigen* leeftijd beginnen kan, oefent den geest weder op eene andere wijze. Hierdoor toch leert men *opmerken* en *goed* en *duidelijk zien*, dat weder een bron wordt van nieuwe vordering, tot verkrijging namelijk van die kostbare gave, om alles waar te nemen wat binnen het bereik onzer zintuigen ligt en van dat alles een klaar en met woorden wel te omschrijven beeld zich voor den geest te kunnen stellen.

Die aanschouwelijke studie der Natuur oefent daarenboven in hooge mate het *geheugen*, en gewent ons, bij eene grondige wetenschappelijke beoefening van dit vak, aan eene *juistheid* van uitdrukking, waardoor wij van eenige plant of dier een *goed* begrip aan anderen kunnen mededeelen. De *kunstspraak* toch en de juiste *naamgeving* der voorwerpen, door velen als een dor en vervelend gedeelte der wetenschap beschouwd, heeft in dit opzigt eene hoogst nuttige strekking. — Sedert de Natuurlijke Historie in Nederland in onze *eigene* taal wordt behandeld en onderwezen, heeft het mijne aandacht meermalen getrokken, dat onze rijke Nederlandsche taal voor alle *naauwkeurige beschrijvingen* uitnemend geschikt is en kort en verstaanbaar iets kan omschrijven, wat in het Latijn of Fransch dubbelzinnig is; eene stelling, die ik met vele voorbeelden zou kunnen staven, indien tijd en gelegenheid zulks toelieten. Hierdoor is dit vak van wetenschap ook met *taalkunde* verwant, gelijk de natuurkundige wetenschappen ingrijpen in schier alle andere takken van menschelijke kennis, overal haren

verhelderenden en bezielenden invloed uitoefenende en een nieuw bewijs opleverende, hoe wijs onze voorvaderen de beoefening van alle hoofdvakken van wetenschap in onze Universiteiten *vereenigd* hebben en hoezeer het te betreuren is, dat men in de laatste jaren van tijd tot tijd vakken van het *universitair* onderwijs heeft afgenomen en aan den steeds jeugdig blijvenden geest en den bezielenden adem onzer Hoogescholen onttrokken; waarvan ik vele voorbeelden, die in mijn eigenen leeftijd hebben plaats gehad, zoude kunnen opnoemen en nog andere in het verschiet dreigende zie.

De geregelde en wakkere gang der wis- en natuurkundige studiën heeft op alle andere wetenschappen en op den geheelen toestand der maatschappij eenen onmiskenbaren invloed. Het zijn de voorwerpen der Natuur, welke de fabrikant verwerkt, welke de handelaar vervoert; op welker ruime en onbelemmerde ontwikkeling de geheele kunst des landbouwers gegrond is? Het is over voorwerpen der Natuur of hetgeen daarvan vervaardigd wordt en over de verschillende uitingen van den menschelijken geest — voorwaar niet het minst merkwaardig gewrocht der schepping — dat de regtskundige handelt, de taalkundige spreekt, de godgeleerde navorscht. De Godheid uit hare wonderbare werken te leeren kennen, zoo ver dit ons, zwakke stervelingen, mogelijk is, is dit niet een deel der natuurstudie? Zijn het niet aanschouwelijke voorwerpen en hoorbare klanken, waardoor de geest des menschen zijne verhevenste beschouwingen uit, en zal niet de meer juiste kennis der voorwerpen, die wij behandelen, of waarmede wij onze denkbeelden uitdrukken, eene meerdere zekerheid en helderheid geven aan al wat wij op wetenschappelijk gebied tot stand brengen?

Het is echter inzonderheid op de *geneeskunde* in haren geheelen omvang, dat de natuurkundige wetenschappen den meesten invloed hebben uitgeoefend en nog meer en meer zullen uitoefenen. Ik geloof niet te veel te zeggen met te beweren, dat, wanneer de geneeskunst als wetenschap thans een geheel ander aanzien heeft dan vroeger, dit voor een *zeer groot* gedeelte daaraan is toe te schrijven, dat men haar meer op goede natuurkundige grondslagen, op hetgeen de Franschen noemen de *exacte* wetenschappen, zoekt op te bouwen; dat men de vroeger zoo onzekere kennis

der ziekten van het menschelijk ligchaam thans op echte waarneming der natuur en op goede natuurkundige proefnemingen tracht te vestigen. En welk een licht hebben niet de overgroote vorderingen der scheikunde in de laatste jaren, zoo op deze, als op alle andere natuurkundige wetenschappen, uitgestort!

Wat de natuurlijke historie van delfstoffen, planten en dieren, aangaat, deze is, gelijk wij reeds aanstipten, daarom vooral van gewigt, omdat de aanstaande geneeskundige zich hierdoor, vaak reeds in jeugdigen leeftijd, den echten geest van *waarnemen* kan eigen maken. Hij toch, die zich, van der jeugd af, gewend heeft, alle hem voorkomende verschijnselen met warme oplettendheid gade te slaan, en niet alleen hoofdzaken, maar ook bijkomende omstandigheden helder in het oog te vatten, hij zal die kostbare *gave der waarneming* later ook aan het ziekbed, als onwillekeurig, in toepassing brengen en vele zaken zien, die een ander onachtzaam voorbijgaat; maar die voor hem dikwijls een helder licht over vele schijnbaar onbeduidende verschijnselen zullen verspreiden. Zijn in de systematische wetenschap geoefende geest zal hem regel en orde in schijnbare verwarring, en eenheid bij verscheidenheid, even als in de stelselmatige rangschikking van dieren, planten of delfstoffen, zoo ook in de vaak uiteenloopende verschijnselen aan het ziekbed doen vinden.

